



VETERIS HOMINIS PER EXPENSA QUATUOR NOVISSIMA METAMORPHOSIS, ET NOVI GENESIS.

Eremi Insulæ Vigrensis

AUCTORE
R. P. GUILIELMO STANIHURSTO, Societatis JESU.



COLONIÆ
Sumptibus HERMANNI DEMEN, sub signo Monocerotis, M.DC.LXXXII.
Cum Privilegio S. Cæsareæ Majestatis.



AD LECTOREM.

DUos, in uno homine, eſſe homines, eſt teſtatiſſimum Spiritus Sancti effatum, magno maximi Apoſtoli calamo exaratum. Sic enim ipſe ex Saulo olim, jam Paulus; hoc eſt, ex homine veteri, jam novus: (a) *Deponere, ſecundùm priſtinam converſationem, VETEREM hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris. Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ; & induite NOVUM hominem qui ſecundùm Deum creatus eſt.* Homo VETUS eſt Adami: Novus eſt Chriſti. Ille de deorſum: hic de ſurſum: ille de terrâ, hîc de cœlo: ille à Naturâ: hic à Gratiâ: ille eſt

(a) *Epheſ.4,22.*

inferior : hic superior: ille est homo animalis: hic spiritualis : ille est in domo Adami, Cain: hic Abel : ille est in familia Isaaci, Esau : (a) hic Jacob: ille est ex Agar, *filius ancillæ*: (b) hic ex Sarâ, *filius liberæ*. Denique homo VETUS, est *de terrâ terrenus*: Homo NOVUS, *de cœlo cælestis*. Quantum ergò est intervallum inter terram, & cœlum; tantùm est & discrimen inter hominem Veterem, & Novum. Nonnè igitur, si homo Vetus, fiat Novus, talis erit illa Metamorphosis, qualis nec unquam commentus est Ovidius in suis Metamorphoseos libris? Quid est Metamorphosis, nisi formæ Mutatio, Transmutatio, Transformatio, Conversio? An non esset ma-

(a) *Gal*. 4.2. (b) *Cor*. 15. 47.

magna rerum conversio, atque adeò stupenda Metamorphosis, si lolium fieret lilium, zizanium triticum, palea frumentum, hædus agnus? qui erat *vas in contumeliam*, (a) fieret *vas in honorem*: *si Æthiops mutaret pellem, & pardus varietates suas*? Major, adeoque & mirabilior fit rerum transmutatio; dum homo Vetus, fit Novus. Inaudita fit transformatio, dum lapides à Deucalione, & uxore trans tergum jactati, conversi sunt in homines; sed quod in Ovidio est fabula; modo in Ecclesia, est historia. Etiam lapides vertuntur in homines. Audi Oraculum Joannis Baptistæ: (b) *Potens est Deus de lapidibus istis facere filios Abrahæ.* (c) Audi & Dei promissum: *Auferam*

(a) *Rom.* 9. 22. *Ierem.* 3. 23. (b) *Matt.* 3. 9. (c) *Ezech.* 36. 60.

cor lapideum de carne vestrâ; & dabo vobis cor carneum. Sed obstupescendas illas in hominibus, quas Spiritus Sanctus, beneficio Gratiæ operatur Metamorphoses, accipe à Sanctis Patribus. Chrysostomus sic loquitur: (a) *Invenit* (scilicet Spiritus sanctus) *publicanum, & fecit Evangelistam: invenit persecutorem, & Apostolũ reddidit: invenit latronem, & in paradisum induxit: invenit meretricem, & Virginibus coæquavit: fugavit malitiam, & induxit benignitatem: exterminavit servitutẽ, & induxit libertatem.* Nos miramur in Ovidio Actæonem mutatum in cervum; Danaides, in vespertiliones; Atlantem, Mauritaniæ Regem, in montem. Hæc, & majora ab Ovidio ficta, sæpius à Spiritu Sancto

(a) *Ex variis in Matt. locis hom. 21.*

ſunt facta. Convincit id lacteus Orator Lactantius: (a) *Da mihi virum, qui ſit iracundus, maledicus, effrænatus; pauciſſimis Dei verbis, tàm placidum, quàm ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem: jam eum tibi liberalem dabo, & pecuniam ſuã, plenis manibus largientem: da timidum doloris, ac mortis; jam cruces, & ignes, & periculum omne contemnet: da libidinoſum, adulterum, ganeonẽ; jam ſobrium, caſtum, continentem videbis: da crudelem, & ſanguinis appetentem; jam in veram clementiam furor ille mutabitur, &c. Tanta Divinæ Sapientiæ vis eſt, ut in hominis pectus infuſa, matrem delictorum, ſtultitiam, uno ſemel impetu expellat.* Nõ igitur immeritò libro meo præfixi hunc titulum: *Veteris hominis Metamor-*

(a) *L. inſtit. c. 15.*

tamorphosis. Et cùm fieri non possit; ut Vetus homo moriatur, quin Novus nascatur: addidi illud, & *Novi Genesis*, id est Nativitas. Sed quo pacto fiet hæc Veteris hominis Metamorphosis, & Novi Genesis? sine longâ temporis morâ, citissimè; sine ullâ corporis molestiâ, facilimè; sine ullo tædio, aut fastidio, jucundissimè. Sic enim idẽ Lactantius: (a) *Gratis ista fiunt, facilè, citò; modò pateant aures, & pectus sapientiam sitiat, &c. Quis hæc Philosophorum aut unquam præstitit; aut præstare, si velit, potest? Qui cùm ætates suas in studio Philosophiæ conterant; neque alium quenquam, neque seipsos (si natura paululum obstitit) possunt facere meliores. Itaque sapientia eorum ut plurimum officiat,* *vitia*

(a) *Suprà*.

vitia non exſcindit, ſed abſcondit. Pauca verò Dei præcepta, totum hominem immutant; & *expoſito Vetere, Novum reddunt, ut non cognoſcas eundem eſſe.* Pondera illa verba: *Pauca præcepta totum hominem immutant.* Plus dico; inter pauca, ſufficit unum præceptum, ut homo Vetus mutetur in novum, videlicet illud Sapientis: (a) *Memorare noviſſima tua & in æternum non peccabis.* Si memineris noviſſimorum, qui fueras virtute noviſſimus, fies primus: ſi recorderis noviſſimorum; diliges eum, (b) *qui eſt primus & noviſſimus*: eris & ſecurus *in noviſſimâ horâ*: (c) imò per expenſa noviſſima, fies *in Chriſto nova creatura*; id eſt, è Veteri homine, fies

(a) *Eccleſ.* 7. 40 (b) *Apoc.* 1. 17. (c) *Ioan.* 18. 2. *Corin.* 5. 17.

Novus. Meditatio mortis, erit tibi innovatio vitæ. Si tibi proponas sæpè extremum Judicium: Illicò, qui tibi erat quasi ignotus, (a) *à te cognoscetur Dominus, Iudicia faciens.* Si descendas vivus ad Infernum cogitatione tuâ: non amplius duces *in bonis dies tuos*, ne *in puncto ad inferna descendas.* (b) Si mente sæpius ascendas ad cœlos: *conversatio* tua erit *in cœlis.* (c) Atque ita de terreno, fies cœlestis; hoc est de Veteri, homo Novus. Ut talis evadas; hæc pauca, quæ de Novissimis scripsi, evolvas: & ei, qui scripsit, fave, & vale.

PRO

(a) *Psal.* 9.17. (b) *Iob.* 21.13. (c) *Philip.* 3.20.

AD LECTOREM.
PRO HOMINE VETERI CONSILIUM, PRO NOVO MONITUM.

Omnes morimur, Eccl. 26.

UT ardore novo fias ex veteri, Homo Novus, sint tibi altè animo infixa, gemina Ecclesiastici verba. Omnes morimur; *quid dici posset ad brevitatem succinctius? quid ad veritatem nervosius?* Omnes morimur. *Est oraculum, non è tripode effusum, sed è cœlo prolatum: non depromptum è Sybillæ foliis, sed excerptum è Spiritus Sancti paginis:* Omnes morimur. *Sunt duo verba, sed quorum veritatem confirmant infinita exempla, sexcenta funera, quotidiana experientia, SS. Patrum testimonia, historiarum fides, Oratorum* lumi-

lumina, Parnassi oracula, Philosophorum placita, lex Divina, & humana: deniq; omnia hæc clamant, inculcant, hortantur. Omnes morimur. *Si dubitas, reminiscere, ubi sint avi tui? ubi abavi, atavi, proavi, majores? ad experientiam te revoca, respice cœmiteria, tumulos visita, quotidiana attende funera:* Omnes morimur. *Qui omnes? viri? Etiam fœminæ; senes? etiam juvenes, pauperes? etiam divites: Ignobiles? etiam Nobiles; Philosophi? etiam Jurisperiti:* Omnes morimur. *Forsan horres illa tam inauspicata verba, quæ mortẽ prænuntiant & si votis tuis Deum obsecundare velle censeres, optares tibi indulgeri illud singulare privilegium, quod olim ab Alexandro Magno, magno ambitu flagitabant Philosophi quidam. Cùm Alexander latè per orbem terrarum arma victricia circumferret, ac remotissimas orbis Regiones non magis suis cursibus peragraret, quàm triumphis, atque victo-*

riis

riis illustraret, audivit propè adesse cantos, ac eruditos quosdam Philosophos, quorum verba, tanquam Apollinis oracula omnes suspiciebant. Hos, ut ex responsis, reconditæ cujusdam sapientiæ viros esse, experientiâ ipsâ comperisset; Petite, (ait Alexander) à me quodcunque munus & accipietis cui Philosophi; volumus, à te immortalitatem obtinere. Risit ad hæc verba Alexander, & irrisit Philosophos: sapientes vos ait, esse censebam; nunc verò judico vos esse ignorantes: mihi id, quod flagitatis, præstare nequeo; quomodo vobis tribuam? Mortalis ergò (ajunt) es tu? sum. Vt quid ergò tanquam immortalis mundum universum turbas, ejusq; dominatum tanto ambitu quæris? Hoc in mente Alexandri infixo aculeo abiêre Philosophi, ad se rediit Alexander. Hoc si exposcis Privilegium, petis aliquid, quod à nullo potest donari; atque ideò à nullo prudente debet postulari. Nulli enim mortali in

vitâ

vita mortali conceditur immortalitas; *quia ut antea dixi.* Omnes morimur. *Vnde benè Tertullianus:* (a) Mutuum debitum est inter se nativitati cum mortalitate: forma moriendi, causa nascendi est. *Cui accinit D. Cyprianus:* (b) Nascimur, morimur, ideoque nascimur morituri, quia prius morimur nascituri. *Et quid mirum?* (c) Commorandi nobis natura hospitium, non habitandi dedit, *ait Romanæ eloquentiæ non tantùm lumen, sed inexhaustum flumen Tullius. Denique hanc gratiam frustrà ab ullo peti, ex Senecæ verbis intellige.* (d) Nemo tam imperitus est, ut nesciat sibi quandoque moriendum, tamẽ cùm propè accesserit, tergiversatur, fremit, plorat. Quid fles miser? quid ploras? omnes hâc necessitate ducuntur. Eò ibis, quò omnia eunt?

Ad

(a) *L. de carne Christ. cap. 6.* (b *Ser. 6. in Psal. Qui habitat.* (c) *Philip. 4.* (d) *Epist. 67.*

Ad hanc legem natus es. Hoc Patri tuo accidit, hoc Matri; hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. Quantus te populus moriturorum sequetur? quantus comitabitur? Fortior opinor esses, si multa millia hominũ tibi commorerentur, atqui multa millia hominum, & animalium hoc ipso momento, quo tu mori dubitas, animam variis generibus amittunt. Tu autem non putabas te ad id aliquando perventurum, ad quod semper ibas? *Credo te ex his verbis intelligere non posse, à mortali concedi immortalitatem. Fortasse juvenes prærogativam quam juvenis quidam à Parente sibi impertiri postulabat, flagitabunt. Rem obiter perstringo.* (a) *Vir quidam, ut stemmate inclytus, ita & opibus splendidus de Mingorri nomine, filium habebat, quem ad disciplinæ militaris tyrocinium,*

(a) *Vincentius T. 3. spec. Moral. f. 693. l. c.*

nium, Marti devotum, armis probè instructum destinavit. Sed alia esse hominum consilia, quàm Dei decreta, eventus docuit Patrem, & eventu didicit Filius. Nam cum Divino magis instinctu, quàm fortuito casu filius Claramvallem, D. Bernardi fama celebrem, pertransiret, illic contemplatus alterius militiæ tyrones, sub Dei aquilis stipendia facientes, & prælia Domini præliantes: ac deinde animo secum reputans, & qui sacræ, & qui profanæ militiæ auctorati sunt, morti esse obnoxios: hoc tamen discrimine, quod qui Deo militant, eos amplius longè maneret donativum, corona quippe gloriæ immarcessibili exornari: pertæsus profanæ militiæ, jussit mundum res suas habere, & ad Christi castra, sub ejus vexillis meriturus, transfugit, ibique exuens arma iniquitatis, induit se armaturam Dei, ut adversus rectores tenebrarum harum, bonum certamen certaret. Quod ubi parens intellexit, ratus

ratus turpissimam inustam esse notam suæ familiæ; ob hoc novum genus, quod filius amplexus fuerat, militiæ insigniter stomachatus, concito gradu fertur ad illud quo se filius contulerat claustrum; ubi ruptis omnibus juris humani, ac Divini claustris, extremum toti monasterio minatur excidium, ni confestim remittant, quem admiserant filium. Antistes foras egressus, his verbis insolentis hominis furorem inflammatum sopivit, non extinxit; Filium non gravatè ad parentem rediturum, si modò unam, quæ in Regione ejus vigeret, consuetudinem aboleret; sin minus acquiesceret, & filiū votis gaudere sineret. Placuit homini incondito cōditio. Exhibetur ejus conspectui filius, conditionem exponit: Vna, inquit, mi parens in vestra Regione mihi displicet consuetudo, quod illic æquè juvenes moriantur, ac senes. Hanc rogo, ut abroges, sin minus, illic persistam vivere, ubi mori juvenis non timeam, senex expe-

expetam. (a) *His verbis parentem sibi prius succensentem accendit, ut militiam, & ipse non quidem desereret, sed mutaret. Enimverò & ipse eidem, cui filius, voluit adscribi militiæ, ut eadem cum filio donaretur corona Iustitiæ. O gratum Iuveni privilegium, si possit vita produci usque ad senium, usque ad decrepitam ætatem; si posset antiquari hac juventuti nimium quantum ingrata consuetudo, ne hîc morerentur æque juvenes, ac senes. Iuvenes mori possunt; senes debent: imò verò Iuvenes non tantùm mori possunt, sed ut plurimum solent. Fortasse non displicebit quibusdam domum, quod quidam referunt largitum fuisse filiis suis, alterum illum mundi instaurati parentem Noemum:* (b) *Is post prodigiosum illud mundi submersi naufragium, maximamque eluvionem, cùm filios,*

(a) *Ita Vallensis de regimine vitæ humanæ f.* Cxx. xII. (b) *Iacobus Edissenus Syrus. Labata Apparat. T. 1. f. 367.*

filios, filiasque in varias emitteret terrarum Regiones. ne illi cupiditate longius evagante liberè volitarent, sed intra modestiæ gyrum continerentur, munus cuilibet obtulit non quidem utile censu, sed fertile fructu. Quod illud? singulis distribuit è lipsanis, ossibusque Adami portionem aliquam: Vni dedit Calvariam; alteri manum, isti costam pectoris, alteri coxendicem, ut illorum aspectu; in amplissimo, quē ut hæreditatem adibant terrarum dominatu, mortales se meminissent, & ne nimium se efferrent. Quid si è cæmiterio selecta hujusmodi ossa mortualia tibi in manus offerrem? sed apage, inquies: ossa canibus projiciuntur. Quidquid ad mortem spectat, viventibus displicet. Mortis cogitatio percellit mentes, commemoratio offendit aures, contemplatio lædit oculos. Tamen si velim quid impertiri accommodatum tuo statui, ac conditioni, nil Mortis imagine possum offerre opportunius,

nec

nec utilius ad evitandam æternã mortem, ad obtinendam ſempiternam vitam. Quia ex illis, de quibus loquitur Eccleſiaſticus: Omnes morimur, *tu unus es, qui morieris; ut mortem non tantùm non metuas, ſed expetas; dic cum Paulo, ſed & fac, quod Paulus:* Quotidie morior. *Qui debes in mũdo mori ſemel, mundo morere ſemper. Quælibet dies vitæ, ſit tibi mors alicujus culpæ. Hodie morere tuæ Iracundiæ, cras Luxuriæ, perendie Invidiæ, poſt Acediæ, ſemper alicui vitio. Qui in peccatis natus es totus; ut vivas, morere peccato. Hoc facis dum illi peccata aperis, qui habet poteſtatem demittendi peccata. Si ita moreris: mors tibi erit non modò votum, ſed ſumma votorum: mori tibi erit, non ſolùm nunc, antequam moreris, deſiderium: ſed tunc, cùm morieris, gaudium.* Fateor, *jam paſſim vivitur, (ut quidam dextrè obſervavit) pro* Honore, Ore, Ære, Re; *hoc eſt, eo referentur propè om-*

AD LECTOREM.

mnes cujuslibet hominis conatus, ut vivat, ditescat, comedat, honoretur. Hoc modo, si vivas modò: finis peritura vitæ, erit tibi initium sempiternæ mortis. Morere ante mortem, sed ut Paulus, quotidie morior, cur? pro vestra gloria, *tu quotidie morere; si nō pro aliena certe, pro tua gloria: quæ una est tuæ militiæ Corona, tuæ peregrinationis patria.*





Ne mortem paveas, à malo caveas.

PROOEMIUM DE MORTE.

AVctores non pauci, in paucis fide digni, referunt, Atheniensibus Proceribus tàm delicatas fuisse aures, ut Mortis non dicam commemorationem, sed neq; nomen solum possent sustinere. Hinc lex fuit apud illos; quam infringere, capitale erat facinus, ut si necesse esset denuntiare mortem Patris, aut Matris, aut alterius, consanguinitate, necessitudine, vel affinitate conjuncti; illud præstari debebat per aliquem, qui jam ob letale crimen, reus mortis è tribunali fuisset pronuntiatus. Propterea, quod judicarent hominem illum qui tam ferale nuntium deferret, ac tam funestâ commemoratione eorum aures læderet, indignum esse vitâ, dignissimum morte; atque adeò è numero hominum

minum ejiciendum, & è finibus humanæ naturæ exterminandum. Si vos, quicunque hæc legitis, similis cum Atheniensibus indolis esse crederem; haud equidem tantùm mihi præfiderem, ut auderem & oculos vestros tam horridis funestare spectaculis; & aures tam tristibus sauciare nuntiis, & animos tam inquietis perturbare cogitationibus, & terriculamentis; qualia gigni solent, dum de terribilium omnium terribilissimo, Morte, instituitur sermocinatio. Sed quia vos, & indole, & naturâ, & genio, certè fide, & Religione ab Atheniensibus discrepare non ignorem; ideò vobis omnibus hujus argumenti Lectoribus, quin & Parentibus vestris, consanguineis, affinibus, ac amicis, liberâ voce, funestum, triste, horrificum, ego ipse reus mortis, deferô mortis nuntium, verbis Paulini Oraculi: (a) *Divino instinctu fusi, & à magno Apostolo scripti, nimirum:* Statutum

(a) *Hebr.4.27.*

tutum est hominibus semel mori. *Morieris tu, quisquis hæc lectitas, & de morte minimè cogitas? Morieris tu, qui viribus valens, ingenio florens, scientiâ pollens, pleno gradu in curriculũ ævi ingrederis, spe lætus, & erectus, qui grandia meditaris, insolentia moliris, & ambulas in mirabilibus super te. Morieris. Non credis?* Statutum est. *Vbi? In magno illo foro, in secreto sanctissimæ Trinitatis Concilio, in sublimi Divinæ Potentiæ prætorio, in arcano æternæ Sapientiæ gymnasio, in metuendo Iustitiæ tribunali, ubi de omnium capitibus habita sunt comitia.* Statutum est. (a) *A quo? Ab eo,* apud quem non est transmutatio. *Ab eo, qui de se loquitur:* Ego Dominus, & non mutor. *Ab eo, cujus statuta & verba, eventu tam sunt certa, ut dicat:* (b) Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. (c)

(a) *Iac.* 1.17. (b) *Malac.* 3.6. (c) *Matth.* 24.35.

Statutum est. *Quomodo? Æterno Dei decreto, quod non potest mutari; inviolabili lege, quæ non potest infringi. Illud ergo, quod in principio, ante omne principium, fuit à Deo statutũ, erit mihi scribendi, tibi legendi argumentum. Vtinam? quanto meo conatu, tanto & tuo fructu: Illa igitur, quæ mortem antecedunt, quæ comitantur; quæ sequuntur; denique regulas mortis utiliter oppetendæ, charactere magis ad motum pio, quàm ad plausum docto, succinctè exponam. Tu è lectis selectiora selige; selecta mentibus imprime, moribus exprime: sic erit pretium operæ, me in scribendo, te in legendo hoc argumento impendisse operam.*

CAPUT I.

Novi hominis, ex attenta Mortis Consideratione, Genesis.

UT homo vetus ex utero; sic homo novus, nascitur ex tumulo.

Novi

Novi hominis idem eſt, & pater, & mater, Mortis memoria. Audi loquentem è ſuo fimeto, optimum morum magiſtrum Job: (a) *Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & ſoror mea, vermibus.* Ecce hic patrem & matrem novi hominis; putredo: quæ putredo? ſepulchralis. Ex putredine, ſanie, pure, vermibus, & cinere cadaveroſo, naſcitur novus homo. Nec opus, ut homo novus concipiatur, & naſcatur, vel longâ temporis diuturnitate, vel magnâ laboris difficultate; novus homo, & facillimè concipitur, & citisſimè naſcitur. Hoc fit uno contuitu oculi; & brevi actione animi. Nunquid quoties oculos convertis ad ſpeculum, naſcitur nova effigies in ſpeculo? Ita ut idem ſit, ſpeculum aſpicere, & in ſpeculo imaginem affingere? Noſtin, quem ad finem inventa ſunt ſpecula? Seneca (b) putat inventa, ut homo ſeipſum noſce-

(a) *Iob.* 17. (b) 1. *Natur.*

noſceret. Socrates uſus eſt ſpeculo ad morum diſciplinam: unde diſcipulis ſuis ſuadebat, ut ſe in ſpeculo contemplarentur; ut qui ſibi pulchritudine placeret, ſatageret, ne corporis dignitatem, morum dehoneſtamẽto contaminaret; qui verò minus viſendam in ſe formam ſpectaſſet, gnaviter contenderet, ut virtutis ſplendore, inopiam formæ colluſtraret, ac ingenio, corporis damna cõpenſaret. Proſunt ergò ſpecula, ſi nobis illa inſerviant, non tam ad crinium cenſuram, quàm ad morum diſciplinam. Sed ut magni æſtimandum; ſic & maximè commendandum eſt ſpeculum, quod dum aſpicitur, repentè novus homo concipitur. Accipite hîc ſpeculum, cujus intuitus, ſi vis, erit novi hominis partus. Refert auctor Neotericus, (a) quendam ex ſacra D. Dominici familiâ,

(a) *Spoelberg in Concion. parte Æſtival. p. 317.*

miliâ, celebrem Divini verbi, quod ad populum Parisiis exponebat, Oratorem, solitum quadraginta esurialium dierum tempore subindè ad alias excurrere civitates, ut populum è suggestu ad virtutes, & virtutum adhortaretur exercitia. Itaque exeunte jam Quadragesimâ, matrona quædam magis spectatæ formæ, quàm vitæ; nobilis ut sanguine, sic & libidine; cum Patrem abiturum ultimum salutaret, obsecravit impensè, & flagitavit importunè, ut proximâ quâ rediret vice, secum cōferret speculum Parisiense. Hoc se facturum, sanctè promisit alter; & quā fuit in promittendo liberalis, tā fuit in exequendo fidelis. Quapropter elapsis aliquot mensibus, cùm ad illius Matronæ rediret ædes, contulit secum speculum; non vitreum sed osseum; non sumptum in foro à mercatoribus, sed in cœmiterio à vespillonibus. Ingressus domum, ju-

bet per Dominam convocari omnes domesticos, asserens se contulisse speculum Parisiense, exquisitissimi artificii. Illa de munere læta, præcipit actutùm adesse famulos, ancillas, omnesq; contubernales; jactitãs exponendum omnium oculis concinnum aliquod speculum, Parisiis allatum. Tum vir Religiosus, amoto quo speculum texerat velo, producit in omnium conspectum, horrificam calvariam. Post hæc ipse nervosâ, & aculeatâ oratione ad hoc spectaculum, pupugit spectantes. Tu, ait, ô Domina, speculum flagitasti? En speculum aptum non concinnandis crinibus, sed reformandis moribus! fuit illa olim, quod tu es modò: ubi jam sunt geminæ sine lumine cavernæ, fuerunt quondam blandæ oculorum pupillæ: cranium illud depile, exornavit crispata calamistris cæsaries: circa oculos jam effossos, roseæ rubuerunt genæ: circa dentes, fuerunt

runt corallina labra, intus lenocinans lingua. Quod tu es modò, fuit illa olim; eris & tu olim, quod est modò? simul ad hæc verba & obstupuere, & conticuêre omnes, cunctis vox faucibus hæsit. Hujus speculi aspectus, fuit aspicientium salus. Sed illa præ cæteris Domina, quæ speculi obtinendi erat præ aliis cupida, sprevit præsentia, & cœpit cogitare futura. Unde non tantùm sui dissimilis; sed jam propè alia, talem ab illa die instituit vitam, qualem se duxisse, sciebat se optaturam, cùm esset oppetitura mortem. Atque ita mortis cogitatio, fuit novi hominis generatio. Ecce tibi forsan non optabile, sed tamen utile pro animi salute speculum, haustũ à cœmiterio cranium. Tale si in tuo habeas musæo, quod sæpè intuearis speculum, stabis semper quasi in specula; & ut præsentia despicias, & de futuris tibi prospicias. Hoc speculum non est veneris

neris illud fallax, & ſubdolum, quo in lubrica, ac fragili glacie fluxam corporis pulchritudinem intueberis; ſed velut in diviniore cryſtallo, rerum ſublunarium, vitæ fugacitatem, mortis certitudinem, id eſt, ut Plato ſentiebat, veram Philoſophiam, ſpeculando diſces. Ito ergò ad cœmiterium, tanquam ad Chriſtianæ Philoſophiæ ſeminarium? aperi demortui hominis tumulum. Sta illic pauliſper, ubi brevi cades. Sepulchrum cadaveris exanimis, mutabit tibi animum. Incipies jam nunc mundo mori, ſi cogitaveris te brevi moriturum. Conſideratio mortis, erit tibi inſpiratio novæ vitæ. Deinde, confer inde mortis ſpolium, informe cranium; confer ad tuum cubiculum, ut illud identidem intuearis, quaſi ſpeculum. Multa, quæ te officii moneant, non tantùm videbis, ſed audies. Illud enim cranium licet elingue, eſt tamen loquax: multa di-

ta dicit dum nihil dicit: licet taciturnum, est tamen verbosum; suo silentio, altum clamat: licet mutum, canit classicum: sine lingua docet, sine voce monet, sine verbis movet: dum nil pronuntiat, multa tibi pronuntiat Placet audire Laconicam hujus muti Rhetoris orationem? Hoc tibi tacitè dicit cranium, quoties ad illud conversus attendas animum: Vix natus cœpi vivere; & mox ad vitæ metam, incœpi currere. Illud quod inter matris uterum & tumulum, spatium est medium, est punctum, quòd in tēpore est minimum. Unde inter illa duo extrema, Nasci, & Mori, minus est, quàm ictus oculi. Ubi incipis, statim desinis, idem est fabulæ prologus, & Epilogus. Sæpè illius memento, salutem dependere ab ultimo momento. Summa erunt omnia, ubi venerit summa dies. Sit tibi non modò prima, sed tota, & sola cura, salutem curare. Hoc unum tibi

eſt neceſſarium, aliud quidlibet ſupervacaneum. Nunquam tibi hoc excidat;pati potiùs omnia,quàm ut excidas Dei gratiâ. Inter omnia hoc unum cave præ omnibus,ne quid agas,quod egiſſe pænitebit,dum animam ages. Denique eris homo novus,ſi ſæpè cogitas noviſſima. Hæc erit hujus muti Oratoris ad te exhortatio; & poſt eam fors in te erit vitæ,morumque innovatio.

PRAXIS.

Fuit hoc familiare D. Antonio pronuntiatum. *Ut quis evadat perfectus, duo tantùm ſunt neceſſaria. Primùm,credere ſe hodie incepiſſe Deo ſervire: Deindè, hodiernum diem eſſe ultimum vitæ.* Si hæc dies quam Deo conſecraſti,ſit prima, cùm nihil Dei cauſa ſit à te actum, quid non agendum? ſi ultima, quomodo non agẽdum? Hic ergò collige omnes corporis,& animi,Gratiæ, & Naturæ vires;

res;ut nulla ſit vel mentis cogitatio, vel cordis deſiderium, vel oris verbum, vel manuum opus, quod non totâ totius hominis contentione dirigatur ad Deum: ſic totam, cùm ſit ultima, diem exigas, quam mereatur coronare felix Æternitas. Mane altè animò imprime hæc aurea verba D. Scholaſticæ. *Dies unus benè impenſus obſequio Dei, plus valet, quàm milliones annorum ad obtinendum univerſum mundum.*

CAPUT II.

Homo vetus ad intuitum ſepulchri evigilat; & jam novus, ſibi invigilat.

QUid aliud eſt ſepulchrum, quàm Mortis domicilium? indè tamen ſæpe hauritur vitæ præſidium. Ex morte ipſa ritè conſiderata, reſultat in anima novæ vitæ præſtans ſimulacrum. Sic fœditas inſervit decori, deformitas venuſtati, peccati ſtipẽ-

dium Virtuti, somnus vigiliæ. Patet id ex verbis Iob, loquitur is de homine insignitè scelerato: (a) *Ipse ad sepulchrum ducetur; & in congerie mortuorum evigilabit.* Exquisitissimis coloribus exprimit hîc Job lineamenta hominis impii, ac potentis; qui fractis omnibus juris humani, ac Divini repagulis, Dei contemnit monita, violat præcepta, explodit consilia; imò qui sacrilego ore hæc plena impietatis verba in Deum deblaterat. (b) *Quis est omnipotens, ut serviamus ei? & quid nobis prodest, si oraverimus eum? Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus?* Et id genus alia execrabilia, quæ recenset Job. Tandem Job, quasi desperans de hujusmodi hominis salute, certum illius exitium denunciat, his verbis: (c) *Quia in diem perditionis servatur, & ad diem furoris ducetur.*

Quasi

(a) *Iob* 21.32. (b) *Iob* 21.15. (c) *Ibidem* 11.30.

Quasi dicat; Actum est de illo, conclamatum est de ejus salute, perditissimus est. Quid, inquies, nullumne homini illi reliquum est obtinendæ salutis præsidium? Vix occurrit, quia ut Job paulò post testatur: *Quis arguet coram eo viam ejus; & quæ fecit, quis reddet illi*: Quis illius erit roboris, ut audeat? quis illius fiduciæ, ut præsumat? quis illius virtutis, ut valeat, posito omni metu, Principem valentem viribus, pollentem divitiis, scatentem vitiis, admonere officii, insignia illius carpere flagitia, ac salubria suggerere cõsilia? Res nimium quantum difficilis, imò periculosæ plenum opus aleæ. Arguit Joannes Herodem; sed jacturâ capitis. Arguit Propheta à Deo legatus Jeroboam; sed & in carcererem fuit relegatus. Arguit Jeremias Regem, & Principes impios; sed projectus fuit in lacum, sustentandus pane doloris, & aquâ angustiæ. Quis igitur arguet

guet coram eo viam ejus? vix reperietur: vel ſi quis ſurdo canet, nō audiet. Quid igitur agendum cum homine, de quo jam eſt actum? Non eſt remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia, ſunt mores. Quid ſubſidii ô Job? Reſtat unum, & præter illud, aliud nullum. Quod illud? *Ipſe ad ſepulchra ducetur; & in congerie mortuorum evigilabit.* O præſidium expeditisſimum cujuſvis etiam deſperatisſimi hominis ad ſalutem adducendi! Nō cum hujuſmodi homine agendum eſt rationibus ſtudiosè excogitatis, non proferenda exquiſita, quibus illum convincas, argumenta; non adducenda horribilia, quibus terreas exempla; non promenda, quibus illum attones, verborum fulmina: ſed ut eum errantem reducas ad viam vitæ, adducas ad receptacula mortis, ad ſepulchra: exhibe ejus oculis ſpectabilem mortuorum congeriē: & dicto citius, qui fuerat ſurdus, au-

diet ſana conſilia; qui fuerat cæcus, videbit præſentia pericula; qui fuerat imperterritus, horrebit futura ſupplicia;qui fuerat patalyticus, ſurget; qui claudus, ambulabit; qui mortuus, reſurget; qui dormiebat, *Evigilabit*. Placet hiſtoriâ rem hanc confirmari? Liffardus Religioſus Ciſtercienſis, inclytæ vir proſapiæ, diu Monaſterii ſui ſubulcus, deniq; officii ſui tam inofficioſi pertæſus, neſcio quâ arrogantiâ ductus; hæc ipſe ſecum: Liffarde, quid agis? Abſit à te, tuiſque tantũ dedecus, ut grunnientes pecudes paſcas. Macte animo Liffarde, ad ea quæ tuo genere digna ſunt, enitere. Tuumne decet gentilitium genus, tam humile munus? Sic ſe abjicere, quid eſt, niſi ad probrum familiæ, avitum ſanguinem proterere? pudeat te non pudere tam infamis ſervitutis. Major es, quàm ut te deſpiciant minimi. Eripe te hoc aſcetico ergaſtulo; in priſtinam

ſtinam libertatem, nobilitatemque te vindica? Dixit, certuſque jam erat cucullum excutere, & aſceterio profugere: ſed jam, jam abiturum, retinuit nox, quam cùm duceret inſomnem, ecce tibi ſeſe oculis ejus obtulit, vir humanâ major majeſtate, quem ſequi juſſus, præeuntem ſecutus eſt, januis omnibus quacunque incederet, ſponte reclufis: ventum ad cæmiterium, in quo cùm ſepulchra vaſto deducerentur hiatu; Liffardus ad tumulum, in quo putidum quoddam cadaver haud ita pridem humatum, verminabat, ductus audiit: *Miſer, quo vis abire?* cumque alia, atque alia hujuſmodi cadavera, contemplari juberetur, & ille propter horrorem deprecaretur, dicens: Parce Domine mi; exanimes illæ larvæ propè me exanimant: heu? nequeo porrò illas contemplari. Rurſus audiit: Age igitur, & ſi tibi vis parci, noli ſuperbiâ elatus, Religioſæ vitæ

vitæ ſtatum deſerere. Quid plura? Ille conſtantiam pollicitus, ad lectum reverſus, horrifico mortis ſimulacro, fuit ab omni ſuperbia liberatus. Sic ad ſepulchra ductus, reductus eſt ad modeſtiæ gyrum, & virtutis tramitem ex quo pedem efferre in animum induxerat. Dicam ergò, non quòd Salomon: (a) *Vade ad formicam piger*; ſed vade ad ſepulchrum piger, & mox cum Davide (b) *curres per viam mandatorum Dei*. Vade ad cæmiterium avare, & ſtatim dices cum Zachæo: (c) *Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus*. Vade ad cõgeriem mortuorum ſuperbe, & illicò exclamabis cum Eccleſiaſtico: (d) *Quid ſuperbis terra, & cinis?* Denique vade Coſmophile, qui mundum ſectaris, & ea quæ ſunt mundi, admiraris, ad congeriẽ mortuorum, & voluta te inter oſſa mortualia;

(a) *Prov.* 6.6. (b) *Pſalm.* 147.15. (c] *Luc.* 19.8. (d) *Eccl.* 10.9.

tualia; & confestim occines tibi illud cum Salomone acroama: (a) *Vanitas vanitatũ, & omnia vanitas.*

PRAXIS.

Sit tibi Mors à secretis, & consiliis? Nihil committas, quod non commisisse optares; nihil omittas, quod omisisse te pæniteret in novissima hora. Sic ergò ante omne opus, seu illud sit animi internum, seu corporis externum, familiariter sermocinare: Ecce Mors, tu Divinæ es Justitiæ administra, tuo subditus sum imperio: mihi enim quod patri meo, jam pridem dictum est: (b) *Morte morieris*: Cùm igitur nullum sit mihi effugium, audiam Sapientis consilium: (c) *Consiliarius sit tibi unus de mille.* Quoties pendebo animi dubius, quid pro salute animi me facere vel deceat, vel oporteat; tu unus mihi eris, qui, quæ sunt obscura, illu-

stres;

(a) *Eccl.* 1. 2. (b) *Gẽ.* 2. 17. (c) *Eccl.* 6. 6.

ſtres; quæ ambigua, explanes: quæ ignota, patefacias, conſiliarius? Ecce impotens ſui iracundia inſtigat, ut de illata injuria ſumam vindictam? vult manum proferam ad ferrum, jubet me cum inimico deſcendere in arenam. Quid hîc facto opus? Cave, reponet mors: Olim quod vis facere, pœnitebit feciſſe? Dum mihi lenocinatur caro? iterum adi tuum conſiliarium, & dic ei cum Paulo: (a) *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, pellicit me ſuis illecebris, ut ſaltem vel cogitando, illis me oblectem; titillat me ſuâ voluptate, ut illi ſaltem deſiderando aſſentiar. Quid hîc mihi ſuades? ſi ſapis, reſpondebit illa, audi meum conſilium, quod eſt Spiritus Sancti oraculum: (b) *ſi ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.* Quantum ergò metuis mortem, tantùm oderis carnem. Iterum dum te Avaritia invitat, ut vel obtineas, vel poſ-
ſideas

(a) *Gal.* 5.17. (b) *Rom.* 8.13.

sideas contra fas aliena bona; dum Intemperantia te impellit, ut helluando te ingurgites, vel potando inebries; semper ante quodcumque opus, sit tibi perfugium ad tuum Cōsiliarium: audi, quid illa suadeat. O quàm multa, ut facias, suadebit! quàm non pauca, ne facias, dissuadebit. Nec Salomon cum omni sua sapientia suggerit tibi utiliora, quàm Mors, consilia. Tibi igitur consules, si illam semper consulas; si ad illius consiliorum normam instituas vitam, stupebunt alii tuam vivendi formam, eritque omnium interrogatio, quæ est apud Isaiam: (a) *Quis consiliarius ejus fuit*

CAPUT III.

Hominis fragilitas, temporis pernicitas.

NObilis ille Vates, cælestium arcanorum interpres Isaias, audive-

(a) *Isa.* 40.13.

rat fortè resonantem ex alto vocem, & dicentem: (a) *Clama*. Quasi diceret? Illud quod tibi dicturus sum, & quod à me auditurus es, nolo in aliquo angulo, sed in publico; non in obscuro aliquo gurgustio, sed in celeberrimo theatro; non modestâ, aut gracili voce, sed contentissimo clamore; non aliquibus, sed omnibus annuntiari: *Clama*. Quid clamabo: *Omnis caro fœnum; & omnis gloria ejus, quasi flos agri: Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos*. Hoc est: tam futilis, & fragilis, & caducus est homo: ex carne licet, & ossibus conflatus, cum omni, quâ fulget gloriâ, quâ floret dignitate, quâ valet auctoritate, quâ pollet potestate, quâ abundat opulentiâ, quâ se jactat scientiâ, quâ eminet sapientiâ, totoque Fortunæ, & Naturæ choragio; & mundi, quo tumet apparatu, ut minimo minimi venti corruat afflatu. Quid mirum?

Omnis

(a) *Isa*. 40.7.

Omnis caro fœnum; & omnis gloria ejus, quasi flos agri. Scitè expendit hanc similitudinem floris D. Augustinus. (a) *Isti florent felicitate sæculi, & pereunt in virtute Dei: Non enim quomodo florent sic pereunt: florent enim ad tempus, & pereunt in æternum: florent falsis bonis, & pereunt veris tormentis.* Confer te ad agrum, aspice Maji tempore fœnum, quomodo floret in pascuis, viget in cãpis, viret in agris; quàm amænum præbet viatoribus spectaculum? quàm mollem fatigatis torum? At exeunte Julio; quod antea virebat in agro, aret in horreo; quod priùs gratum præbebat hominibus spectaculum, jam servit brutis animantibus in pabulum. O delicatule Trossule? illa tua caro, quæ in capite flavis crispatur comis; quæ in vultu, roseis purpurascit genis; quæ in cervice, lacteo candet nitore; quæ in ore, co-
rallinis

(a) *In Psalm.* 35.

rallinis rubet labiis : illa caro, quæ induitur bysso, & purpurâ; cujus auribus, quidquid jucundum; oculis, quidquid pulchrum; naribus, quidquid odoriferum; faucibus, quidquid dulce; manibus, quidquid molle est, offertur, non est nisi *fœnum*. Exspecta adhuc paulisper juvenis formosè, brevi de te dicetur: *Cecidit flos*. O quàm benè non malus Poeta:(a)

Nos quoque floruimus, sed flos fuit
ille caducus.

Hodie sumus validi, cras morbidi, perēdie mortui, deinde sepulti; paulò post à vermibus exesi, tandem in cineres conversi: eodemque sæpe, & temporis momento, & loci puncto, & exhalamus animam, & accipimus decretoriam sententiam; & calente adhuc corpore, stamus coram Judice; nosque prius ad æternitatem miramur abreptos, quàm metuebamus

(a) *Ovidius.*

mus abripiendos. Sic uno momento ſtamus, altero cadimus; uno vivimus, altero morimur. Non modò ſumma eſt, hominis dum vivit, fragilitas, ſed & maxima temporis, ut vivat, brevitas. Eſt effatum Paulinum: (a) *Tempus breve eſt*. Quid aliud clamat ſol, dum annuam orbitam emenſus, eandem remetitur, quàm *Tempus breve eſt*? Quid aliud illa frequens noctium ac dierum viciſſitudo? quid aliud ſuccedens Infantiæ pueritia, pueritiæ adoleſcentia, adoleſentiæ Juventus; huic reliquæ ætatis partes clamant; quàm *tempus breve eſt*? Idipſum aſſerit Job: (b) *breves dies hominis*. Pondera ſuis momentis, quia ſunt magni momēti, ſingula verba. Non dicit breves dies hominis ſenis, decrepiti, depontani, ſed hominis. Adoleſcens es, ſed homo? fortis, vegetus, validus, ſed homo: ebullit in venis juvenilis ſanguis,

(a) 1. *Cor*. 7. (b) *Iob*. 14. 5.

guis, ſtant firmæ in corpore vires; ſed homo es? *Breves dies hominis.* Sæpè adoleſcens florens ætate, nobilitate, ingenio, tanquam flos egreditur, & repentè conteritur. Non rarò Juvenis comptulus manè procedit velut ſponſus de thalamo; & veſperi jacet in tumulo. Hanc temporis brevitatem cõfirmabit tragica Saulis hiſtoria: Saul decretoriam cum Philiſthæis pugnam pugnaturus, juſſit per Pythioniſſam, Samulem è funere excitari. Adeſt metuendâ majeſtate ſuſpiciendus Samuel. Vide hîc inter unius diei, & noctis moram minimam, maximam rerum omnium converſionem. Stabat utrimq; copioſiſſimo bellicæ pompæ apparatu inſtructiſſimus exercitus: Verſabatur hic Saul inter quadrigas, & carpenta; inter turmas equitum, & cohortes peditum; inter lituos, & cornua, Martio pulvere non indecorè ſordidus: ducebat exercitum,

instruebat aciem, cogitabat victorias, meditabatur triumphos, sperabat trophæa; Regnum denique suum ad seram posteritam firmare moliebatur. Interim, dum hæc animo agitat, ecce tibi feralem Samuelis ab inferis exciti vocem: (a) *Cras tu, & filii tui mecum eritis; sed & castra Israel tradet Dominus in manus Philistinorum.* O quanta, & quàm admiranda rerum omnium repentè vicissitudo? quàm præcipites rerum vices? Hodie stat in campo exercitus ferro metuendus; cras jacebit Mortis manu prostratus. Quot hodie stant hîc animata corpora; tot cras jacebunt inania cadavera. Quàm benè Tullius: (b) *Quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperam esse victurum?* Præclarè item Seneca: (c) *Id ago ut mihi instar totius vitæ sit dies; sic illum aspicio, tanquam*

(a) 1. *Reg.* 28. 19. (b) *Senect.* (c) *L. de Epist.* 61.

quam esse vel ultimus possit. O si cum vel Seneca quemlibet diem aspiceremus tanquam vitæ postremum, æternitatis primum? quid ageremus? Accerseremus pollinctores, locum sepulchralem in cœmiterio quisque sibi metaret; linteum funebre appararet; cum vespillonibus de efferendo funere pacisceretur: tumbam mortualem sæpe inspiceret; testamentum conderet; tum aliis omnibus curis sepositis, conscientiæ latebras discuteret; inde erutas animi labes in aures Sacerdotis conjiceret; Sacro Viatico, immensum æternitatis iter initurus, mentem corroboraret, præcingeret lumbos, pararet lampadem, exspectaret sponsum, vigilaret, teneret lucernam in manibus; denique unum id ageret, saluti consulere. Hæc ageres, si non nescires hunc diem tibi postremum elucere Quid differs pænitendorum in crastinum pænitere, qui hodie com-

misisti pænitenda; Audi Gregorium (a) *Qui pænitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit: semper ergò postremum diem debemus metuere, quem nunquam possumus prævidere.* Cave ne cùm steteris in limine æternitatis, tibi occinas illud serum Hannibalis, negligentis Romæ occupandę post victoriam Cannensem, occasionem: *Cùm potui, nolui; cùm volui, non potui.* Hodie potes, quidquid velis; cras forsan non poteris, licet volueris? O quàm erit triste ab arrodente conscientiæ verme æternùm cruciari? toties mihi ingeminanti. Heri potui æternam nancisci gloriam, nolui: heri potui hos declinare cruciatus, nolui: heri potui æternum esse beatus, nolui: heri potui nunquam esse miser, nolui: Quid ita? in crastinum distuli, qui ignorabam, quid esset futurum in crastino? Imitare, si tibi vis consultum, il-

lud

(a) *Hom. 12. in Evang.*

lud cujusdam viri Religiosi monitum; qui cùm ad insequentis diei convivium esset invitatus, respondit invitantibus (a) *Si quid à me vultis, præsto sum; quid enim cras agendum sit, vos, quibus vacat, cogitate; ego enim à multis annis crastinum non habeo.*

PRAXIS.

Si vis in hac mortali vita, ubi homo repletur multis miseriis, stare in ipso fastigio supremæ felicitatis; semperque vivere sine metu, tutus: sine luctu, lætus: sine ærumnis, beatus: ita vitam institue, ut omni tempore Conscientia tibi dictet; si hâc horâ, & momento, mihi esset moriendum; nihil occurrit Sacerdoti aperiendum, nisi fors ab ultima confessione. Adeoque si vox illa mihi insonet: (b) *Ecce sponsus venit*; paratus

(a) *Petrarcha l. 3. Memorial.* (b) *Matth. 24.*

tus ſum in hoc ſtatu illi occurrere. Si mihi ſubitò dicatur: (a) *Diſpone domui tuæ, quia morieris* : Reponam; jam pridem diſpoſui, lubens moriar. Si hoc modo vivas; potes mortem non modò expectare cum deſiderio, ſed invitare cum gaudio; potes ſecurè in utramque aurem dormire, quia ſi mors ſubitò te opprimat, in Domino obdormies.

CAPUT IV.

Quid ſit mori?

CUicumque contigit naſci; eidem neceſſe eſt & mori. O brevem voculam! mori; non continet niſi duas ſyllabas, & quatuor literas; ſed actus moriendi, complectitur omnes quæ timeri ſolent miſerias. Mori, non eſt niſi unicum verbum; ſed quæ mortē antecedunt, comitantur, ſequuntur, nullus nec verboſiſſimus Orator

(a) *Iaſ.* 38.1.

Orator poterit unquam dicendo explicare. Faciamus hîc quasi Anatomiam illius arcani, & prodigiosi verbi videlicet mori. Quid est Mori? Mori est relinquere omnia in hoc modo aspectabilia, & sensibilia. Primum, quàm est perpessu acerbum proscribi patria, mitti in exilium Cùm Tullius amandaretur in exilium, viginti millia civium Romanorum, pullo amictu, luctus testandi causâ, eum comitabantur. Quid hoc est collatum cum morte? Mori, est, debere pro omni tempore, deserere in quo vixisti, mundum; in qua natus es, Patriam; ubi vixisti, urbem; quam incoluisti, domum; in quo manducasti, triclinium; in quo studuisti, musæum; in quo quievisti, lectum; in quo ambulasti, hortum: omnia penitus loca; sicut nullus in toto orbe futurus sit angulus, in quo possis amplius, vel ad momentum consistere. Alia jam prosequere. Mo-

ri,eſt dicere perpetuum vale parentibus,fratribus,ſororibus, conſanguineis,affinibus, amicis, famulis, domeſticis, civibus, popularibus, (verbo) omnibus hominibus; ſic ut nullus omninò ſit futurus, qui te proficiſcentem in illam ignotam,peregrinam, admirandam comitetur Regionem æternitatis. Princeps quidam impiè potens, & iniquè dives,cum morti ſe proximum cerneret,converſus ad ſibi adſtantem Palatinam Familiam: *(a)* Eia, inquit, vos fideles Palatini mei, ſuccurrite quæſo, & ab imminenti morte, hâc me vice eripite: Et ſi nunc omninò moriendum erit, ſaltem comites mihi itote,& ne in periculoſa hac & ignota profectione ſolum relinquite:& hoc æquum eſt, ut qui fuiſtis participes meæ gloriæ, & felicitatis, ne in tam calamitoſo ſtatu me deſeratis? Ad hæc ipſis ſilentibus, nulloque

(a) *Bellard.in Prato exemp.l.21.*

que condicere volente, in rabiem actus Princeps, perjuros illos, & perfidos insanis clamoribus vociferans, per summam indignationem spiritum infaustum ejecit. Mori est, deserere omnia bona corporis, Fortunæ, Naturæ: Tunc igitur spoliatur omnibus vestibus, suppellectili, pecuniâ, opibus, thesauris, agris, fundis, prædiis, ædificiis, possessionibus; omnibus jumentis, quæ habebat in stabulo, piscibus, quæ in vivariis; arboribus, quas in silvis, fructibus, quos in agris; floribus, quos in hortis; frumento, quod in horreo; doliis, quæ habebat in caveis, (a] *Nudus in hunc mundum venisti, nudus exibis*. Etsi Cræso fueris ditior; non licebit tecum sumere, nec ex agris, spiculam; nec ex thesauris, obulum, nec ex armentis, ungulam; nihil penitus, Nihil, Nihil. Mori est, deserere semel, & simul omnes voluptates, delicias, con-

(a) *Iob* 1.21.

convivia,tripudia,ſpectacula, aucupia,venationes,ludos; omnia, quæ vel oculos blandè oblectant; vel aures ſuaviter demulcent; vel nares odore recreant; vel palato ſapore blãdiuntur; vel tactum molliculè afficiunt. Nunquam ampliùs poſſe oblectare oculos aliquo lumine, ſolis, lunæ, ſtellarum, lampadis, cerei, facis. Mori eſt, pati extremas undique in corpore, & animo anguſtias: tunc enim ſupini ſunt vultus; oculi patentes, immobiles, & extincti; contractæ nares? os lividis dentibus hians, longum, difficilem, raucum, & graveolentem reciprocans halitum; areſcunt fauces, ſtupet omnis ſenſus; qui ſuperat in facie color, diffluit? omnis venuſtas in ore evaneſcit; erumpit ex omnibus poris frigidus ſudor, abit à genis rubor, ſuccedit pallor, paulò poſt rigor, tum fœtor, deinde rancor; tandem omniũ, qui intuentur, horror. Non ſit minor

nor in adſtantium affectibus mutatio; fluunt lachrymæ, perſonant ſuſpiria, audiuntur ejulatus, editur planctus, excipiuntur noviſſima verba; cõclamatur, quam diu ſpirat, fovetur moriens: mortuus, ſtatim nudatur, deſeritur à propinquis; & qui prius in illis erat amor, deſinit in abominationem. Mori, eſt in lubrica arena cum formidando illo hoſte, cum poteſtatibus tenebrarum, cum mundi Principe, cum leone rugienti decertare, congredi, luctari pro ſempiterna ſalute animæ; ut huic æternum benè, vel æternum malè ſit: Et quidem pugnabis toto corpore infirmus, omnibus artubus debilis, graviſſimâ calamitatum mole circumvallatus, letali ſudore perfuſus, mortifero morbo oppreſſus; & ſolus: (a) *quoniam non eſt* tunc, *qui adjuvet*, aut adjuvare poſſit: & pugnabis cum inviſibili, (*b*) cum hoſte vaferrimo,

(a) *Pſal.* 41.14. (b) *Apoc.* 12.12.

ferrimo, cui mille nocendi artes; cum hoste ferocissimo, qui tunc insurget in te, *cum ira magna*, furore insatiabili, & horrifico, *sciens quod modicum* ubi residuum, tempus habeat. Tunc omnia ossa, artus, nervi, arteriæ, articuli, singulaque totius corporis membra si possent humanâ voce resonare; non aliud clamarent, quàm illud Susannæ: (a) *Angustiæ sunt mihi undique*. Mori, est corpore rigido, & frigido jacere in stramine, involvi abjectâ sindone, includi angusto loculo; efferri per vicos, & cōpita sarcophago ad templum, pone comitantibus, & lamentantibus amicis, & vicinis; inde deduci ad cæmiterium, ex cæmiterio ad sepulchrum, passis funibus demitti in cæcum telluris antrum, obtegi terrâ, lapidibus, ac defunctorum ossibus, tum fœtere, tabere, consumi, rodi à vermibus, putrefieri, ac tandem in pulve-

(a) *Dan.13.13.*

pulverem referri. Quid denique est mori? Mori est, animam migrare ad alteram vitam, in alium orbem, in domum æternitatis, in Regionem incognitam; ubi terræ opes, nullius sunt valoris; honores, nullius pretii; scientiæ, nullius æstimationis: ubi omnia, quæ sunt mundi, quia momentanea, nullius sunt momenti. Est animam sisti coram inevitabili æquissimi judicis tribunali; illic accusari, judicari, ac tandem æternùm vel in cælo gloriâ coronari, vel in orco pœnâ cruciari. Ecce Iliadem mirabilium, quæ complectitur una illa vocula, Mors; binæ illæ syllabæ, Mori? Jam forsan quæres, quod Discipuli olim à Christo: (a) *Dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum adventus* mortis, & *consummationis* vitæ? Respondeo cum Christo: (b) *Vigilate, nescitis diem, neq; horam.* Fors illa omnia à me prædicta, à te prælecta e-

(a) *Matth.* 24. 3. (b) *Matth.* 25. 12.

cta evenient tibi ſequenti horâ; fors veſperi, vel certè cras; vel hoc menſe, aut anno: quidquid fuerit, illud certum eſt, quod aliquando; nec illud incertum quod brevi, quia (a) *Tempus breve eſt.*

PRAXIS.

Ne Mors, quàm certò expectas, tibi eveniat inexpectata, ad illam tua omnia diſpone, animumque totum compone. Quotidie tibi ipſe, quaſi morienti prælege preces illas uſitatas Eccleſiæ, quæ recitari ſolent ad ſpondam lecti, dum quis moritur, videlicet: *Proficiſcere anima Chriſtiana de hoc mundo, &c.* Itemque Litanias omnium Sanctorum, ac B. Virginis, ardeatque ad latus cereus benedictus. B. Albericus, qui ſe, ſuoſque omnes ex aſſe B. Virgini mancipârat, morti jam proximus, poſt accepta morientium Sacramenta, Litanias

(a) 1. Cor.

nias dicere aggressus, cum collecto ad extremum spirttu tenerrimè diceret: (a) *Sancta Maria ora pro nobis*; facies ejus (inquit Auctor vitæ) cœpit quasi Divinâ luce perfusâ, intermicantes effundere radios; & mox velut in somnum leviter solutus, animam efflavit Sanctissimam, posteaquam suis, quos Mariæ omnes addixerat, dixisset: O si vidissetis cælestem illam gloriam, quàm omnibus vobis jam paratam aspexi? O quàm sanctè Litanias, quamque nō è frigida consuetudine diceres, si post illas recitatas, mox te moriturum tibi persuaderes! Colebat Antiquitas Deos Limentinos, quibus cura liminis in domo erat commissa: tibi Limentini sint sancti, quos in æternitatis limine, ut benè in domum Æternitatis inducant, in Litaniis oras.

(a) *Apud Bollandum* 26. *Ianuar*. c.5.

CAPUT V.

Homo vetus, reddit animum ex deformi pulchrum, inſpiciendo ſepulchrum.

M*Aria ſtabat ad monumentum, plorãs.* (a) Quid mulier facis ad monumentum? quid quæris in ſepulchro? Quæro, quem amiſi, dilectum. Sed ille jam abiit, evaſit, erupit: abiit è vita; evaſit è mundo; erupit è tumulo. Quid vitæ Auctorem quæris inter mortuos? Quia nuſquam, dum perditus eſt, vel certius quæritur, vel citius invenitur Auctor vitæ, quàm in loco mortis. Si mortem contempleris, morietur in te mundus, naſcetur Christus. Sepulchrum, natale eſt ſolum omnium Virtutum. Cæmiterium, eſt Chriſtianæ Philoſophiæ gymnaſium. Urna illa feralis, ſchola eſt, in qua uti docentur omnes

(a) *Ioan.* 20.

nes Virtutes; ita & dedocentur omnia vitia. Deſcende in hanc arenam; prodibis inde non indecoro pulvere ſordidus, dum intelliges te è pulvere conflatum, in pulverem brevi reverſurum. Imitare hanc mulierē, ne ſis effæminatè mulieroſus, ut evadas vir. *Maria ſtabat ad monumētum.* Tu, qui tam pertinaciter ſtetiſti in via peccatorum; ſta cum Maria ad monumentum. Brevi jacebis in monumento: ſta priùs ad monumentū, ut illic ſuis momentis ponderes ultimum, à quo æternitas pendet momentum. Sta ad monumentum, dū vita agitat pedes: ſta, antequam morte cadas: ſta, dum tempus fugit; dum curris ad metam, dum properas ad domum Æternitatis. Doctior evades, ſtando ad monumentum cadaveris; quàm frequentando lyceum Ariſtotelis: utilius tibi erit ſtare ad monumentum; quàm ſtudere in muſæo, ſedere in caupona, ambulare

per forum, venari per silvas, stertere in lecto, quiritari in curia. Hoc enim loco, nullus est vitiis locus. Sta ad monumentum, in quo jacebis, sine voce mutus; sine auditu, surdus; sine visu, cæcus; sine motu, rigidus; sine calore frigidus; sine sensu, stupidus; sine vita, mortuus. Sta ad monumẽtum, in quo putebis, fætebis, contabesces, cõputresces: in quo putore, & sanie difflues, à vermibus corroderis, & tandem in cineres converteris. Stanti ad tumulum, cadent tibi de capite, quibus coronatus es, rosæ; diffluet è manibus, quam tenes, testudo, & cythara: quiescent agiles, quibus solum pulsas, pedes; conticescet arguta, quâ epithalamia concinis, lingua; claudes vagos, quibus vana intueris, oculos. Ad tumulum confundetur Superbia; submittet se Arrogantia; obmutescet Jactantia; pallebit Audacia; frigebit Luxuria. Cõtemplatio sepulchri, vitiorum om-
nium

nium erit ſepulchrum. Stans ad ſepulchrum, hæc Jobi verba menti imprime: (a) *Dies mei abbreviabuntur; & ſolum mihi ſupereſt ſepulchrũ.* Poſt exactam olim infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, Juventem, Senectutem, & omnes ætatis partes; poſt tot labores, curas, ſolicitudines, conatus, ſtudia, contentiones; poſt tot gaudia, convivia, tripudia, ſpectacula, certamina, victorias, triumphos; poſt ſanitatem, morbos, ultimum halitum, poſtremum momẽtum, mortem denique, poſt omnia, unum ſupereſt omnibus. Quid illud? Reſpondeat, cujus reſponſum eſt velut effatum: *ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum.* Ecce hîc tuum, ô Rex palatium! tua, ô Princeps, Baſilica! tua, ô Conſul, curia; tuum Cauſidice, forum; tuum, Advocate, muſæum; tuum, Philoſophe, Lyceum; tua Magiſter, ſchola; tuus, ô miles, campus! tua Orator, roſtra; tuum, Concionator, pul-

Iob 17.10.

pulpitum; tuum, Cænobita, claustrum; tuum, Sacerdos, Templum; tua denique, ô homo, domus! post obitos agros, vicos, oppida, provincias, regiones; post lustrata omnia terrarum loca, unus tibi superest locus: quis ille? loculus, tumulus, angusta trium ulnarum caverna; angustior quatuor palmorum urna. Postquam vixisti diu super terram; unũ superest, ut jaceas sub terra. Et hæc omnia tibi brevi evenient. Audi enim Job: (a) *De utero translatus ad tumulum*. Cuicunque contigit concipi in utero; ei necesse & jacere aliquando in tumulo: *De utero ad tumulum*; hoc est, de angustiis, ad angustias; de tenebris, ad tenebras; de carcere, ad carcerem. Totum verò quod intercedit inter uterum, & tumulum, vitæ spatium, quantum est? Vix tantùm, quantum est in loco punctum; in tempore momentum; in re minimâ, quid minimum? hoc

(a) *Iob* 10.39.

est,

est, propè nihilum. Et in hoc puncto loci, & momento temporis, quid agimus? quid non agimus? qualia agitamus? Inter omnia porrò quæ agis, ne actum agas, hoc est, frustrà vivas: Sta sæpè ad monumentum; & cogita, post omnia quæ egimus, diximus, cogitavimus, hoc erit postremum, cadere in sepulchrum. Hic est nostræ fabulæ ultimus actus nostræ Scenæ Epilogus; nostri operis colophon; omnium dictorum epiphonema, omnium gestorum clausula; omnis consummationis finis. Hæc cogita; & pervenies in vitæ fine, ad ultimum tuum finem.

PRAXIS.

Quodlibet horæ sonantis præludium, sit tibi quasi ad pugnam ineundam, classicum, & adhortatio ad vitæ novæ exordium. Quâlibet horâ, insonet auribus tuis illa Spiritus sancti tuba: (a) *Hora est, jam nos de som-*

Rō. 12. 11. Eph. 5. 14.

somno surgere. Surge ergò, *qui dormis*? Dic tibi ipsi, quod familiare S. Teresiæ: Jam sum unâ horâ vicinior morti, sepulchro, æternitati. Si horam, quæ sequitur, impenderis cum animi quæstu, cum magno meritorum cumulo, quanto exultabis gaudio? Si daretur æternitatis vel in cælo, vel in orco incolæ frui unâ nostri temporis horâ: quomodo illam insumeret! iste, ut augeret gloriam; hic, ut evaderet pœnam? Non est in hora momentum, quod non sit infiniti momenti: quia quolibet momento potes operari æternum gloriæ pondus. Et hoc non ponderas?

CAPUT VI.

Novus homo, nova videt, audit, intelligit, dum sepulchra inspicit.

UT veluti homo novus, nova omnia facias; necesse est, nova videas, audias, intelligas. Hoc, quod est necessari-

cessarium, nanciſceris, ſi non modò ſtes ad monumentum foris, & aſpicias, ſed inſpicias. Cùm enim dixiſſet Joannes de Maria: (a) *Stabat ad monumentum foris*, ſequitur? *inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum.* Qui ergò ſtetiſti ad monumentum; inclina te, proſpice in monumentũ. Tu ergò Rex, deſcende de tuo ſolio; Princeps, de throno; Judex, de tribunali; Senator, de ſubſelliis; tu ſuperbe, deſcende de tuo faſtigio; & inclina te, ut declines à malo. Ad quid? inclina te ad terram, ad ultimam tuam domum, ad monumentum; & proſpice, ut tibi proſpicias, in monumẽtum; & erit tibi firmiſſimum, quo te propugnes, munimentum. Si in illud proſpicias, prô qualia videbis, audies, intelliges! Quid ibi videbis, niſi capulum è quatuor aſſeribus compactum? in eo ſepulchralem ſindonem, ſub ea putidum cadaver, in eo oſſeum monſtrum, horrificum ſpe-

(a) *Ioan.* 20.11.

ſpectrum? in capite, ſquammoſos ſerpentes; ſuper oculos, ventroſos bufones; in ventre, teretes lumbricos: per omnia membra, rodentium vermium fædum examen. O ſpectaculum, quod intueri, mors eſt propè intuentis! Quid illic olfacies? Quid? quod nullius poſſent excipere nares, ſine vitæ propè diſpendio, ſine mortis periculo: incredibilem fætorem, intolerabilem odorem, inexplicabilem mephitim, quæ ſi latè exhalando ſeſe explicaret, totum vicinum aerem peſtilentisſimâ lue inquinaret. Quid illic audies? profectò: quã fuiſti mirabilium ſpectator, tam eris terribilium auditor. Non mihi conſilium eſt eorum, qui perennibus addicti ſunt pœnis, lugubres nænias, leſſus, elegias, epicedia recenſere; totum hunc aerem clamoſisſimis ululatibus implerent; imò omnes colles, valles, antra, ſpecus, agri, ſaltus, teſqua, maria, loca omnia inacceſſa & re-

& recondita, denique tota hæc rerũ universitas, lamentabilibus eorum questibus horrendùm personarent. Age! sta ad monumentum hominis, quem hominum omnium censes fuisse felicissimum. Aperi tumulum, admove aures, & quid dicat, diligenter attende? Non percipies alia verba, quàm digito Dei expressa in libro Sapientiæ: (a) *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis: ambulavimus vias difficiles, &c. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia: Transierunt omnia illa tanquam umbra.* Si aliud accedas sepulchrum; ut illam, quæ illic latet, umbram audias loquentem, hæc ab illa excipies verba: (b) *Dies mei transierunt.* O dies, quàm multi numero! quàm æstimabiles pretio! quàm celeres tempore: in ictu oculi transierunt! Tot dies trivi in infantiâ, futiliter; tot dies consumpsi in pueritia, inuti-

(a) *Sap.* 5.7. (b) *Iob* 17.11.

inutiliter,tot dies expendi in adolescentia,negligenter; tot dies exegi in juventute, perniciosè; tot dies recensui per omnem ætatem : ubi dies illi? *Transierunt*. Ubi dies illi geniales,quos lætus, & alacer traduxi in conviviis,helluando,in nuptiis, tripudiando in phæristeriis, ludendo; in theatris,spectando;in foro,otiando, ubique peccando? *Transierunt*. Transierunt dies salutis, dies meriti, dies Jubilæi,dies placandi Dei, promerendi cæli, agendæ pænitentiæ, augendæ gratiæ, obtinendæ gloriæ. *Transierunt*:sed quomodo? Transierunt vacui,sine merito: steriles, sine fructu : inanes,sine lucro. Si alterius orationem è manibus, non pigeat excipere auribus:hæc tibi attendenti occinet. Sta viator, antequam jaces cadaver? Nusquam tibi opportunius fui locutus,quàm è loculo? nec utilius monui, quàm è monumento? Crede mihi jam umbræ, omnia

bona , præter ſummum Bonum, umbræ ſunt:& velut umbra præteunt. Tum primùm cognovi: quod omne quod in mundo , eſt mundi, non ſit niſi fumus, dum jacui funus. Sum,quod eris;fui,quod es. Si ſapis, hîc vive Deo,morere mundo:&memento,quia hæc , quæ æſtimamus omnia,non eſſe niſi ſomnia , credes in ultimo vitæ momento.Hæc,& id genus alia,ex alterius mundi incolis excipies,quibus ſapias,pronuntiata. Sed quid illic intelliges? quid diſces? Diſces contemnere tui ipſius contemptum , deſpicere deſpicabilia mundi:quæ nulli ſunt bona , niſi malis. Intelliges, nihil in hoc rerum ſtatu eſſe ſtabile: nihil conſtans,niſi inconſtantia : nihil non ſub Luna fragile:nihil in hac vita eſſe miſerius, ipsâ vitâ:vanum eſſe, quidquid non eſt Deus,vel ex Deo , vel ob Deum? Denique intelliges omnia in hoc mundo eſſe futilia: in altero admirabilia.

rabilia. Hæc ſunt, quæ in tumulis conſpicies, è tumulis audies, per tumulos intelliges. Proſtans ad hæc defunctorum receptacula tenebricoſa, abjicies opera tenebrarum. Evades ex veteri, homo novus, vidẽdo, audiendo, intelligendo è manibus tot nova. Ita contigit Sylveſtro Auximano, qui cum otio ſubſiſteret ad ſepulchrum cujuſdam nobilis, juxta ac divitis adoleſcentis: fixit illic pauliſper gradum, & cogitabundus aliquamdiu hæſit: ac tandem alto ex imo pectore, educto gemitu, ſibi ipſe dicebat: *En ego ſum, quod hic fuit: & brevi ero, quod hic eſt.* Plus illi profuit hic tam ſuccinctus Laconiſmus, quàm quivis potuiſſet verboſiſſimus Syllogiſmus: Nam repentè didicit omnia, quæ ſunt in mundo, iis, quæ ſunt ſupra mundum, poſthabere: juſſitque ſine mora, mundum res ſuas habere: & ut eſſet ſuus, deſeruit ſua: egreſſus quippè cæmiterium,

terium , ingressus est Asceterium. Tanti refert, ut Christiani hominis officio perfungaris, consulere vitâ defunctos.

PRAXIS.

Cùm multùm referat, imò plurimùm conferat ad suscipiendum in illa ineluctabili mortis lucta, è cœlo patrocinium, multos è cælitibus habere patronos, ut illos in ultima tua necessitate habeas tibi propitios: consulo, cùm incerta tibi sit certissimæ mortis dies: ut illos Sanctos singulari cultu prosequaris, qui in Ecclesiæ fastis, aut Martyrologio, ut vocant, coluntur illo die, qui tibi erit postremus. Dies unus certò tibi erit aliquando novissimus: quis ille, tibi est incognitus. Illis ergo tuum sæpè offeres obsequium, quos Ecclesia illo die colet, quo tibi ex hac vita erit migrandum. Vel certè si id minus arrideat, aliud suggero. Confice syl-

labum

labum omnium tuorum, quos in menstruis suffragiis, sortitus es, præsidum: illorumque Litanias indies ad illum finem, ut tibi in novissima hora patrocinentur, recita: & tibi morienti jube à Sacerdote recitari. Quas non è cælo experieris suppetias: ubi tot habebis, qui in lubrica illa arena succurrant, cælitum copias? Cùm B. Cherubinus, ex D. Francisci Familia, piissimus Asceta ageret animam: (a) occurrerunt ei sexaginta sex millia Animarum, quas ipse suis concionibus, cælo inseruerat. Non poterat illi deesse auxilium: cui patrocinabantur tot cohortes auxiliariæ.

CAPUT VII.

Mors multis est in visa; quia non paucis improvisa.

INter omnia, quæ mortalibus in hac

(a) *Minorum Chronico parte.3.*

hac vita ſolent evenire mala, nulla ſunt quæ vel acrius pungunt, vel gravius affligunt, vel acerbius cruciant, quam quæ repentè, ſubitò, improviſò contingunt. Si urbs aliqua repentè, & inexſpectatò ab hoſte invaditur; proh quanta eſt confuſio, quæ clades, quæ funera! communi omnium voce mox conclamatur ad arma; *Arma viri, rapite arma viri, hoſtis habet muros!* Curritur ſine ordine per vicos, & compita; non ſunt arma ad manum, itaque paſſim obvii ab hoſte contrucidantur: ardent tecta, profanantur delubra, expilantur domus; urbs tota, militi eſt præda. Unde tanta illius civitatis calamitas? Unde incendia, rapinæ, compilationes, ſtrages, cædes? Quia repentè hoſtis ſupervenit. E terra, vela demus in mare. Si poſt diuturnam oceani pacati malaciam, aeris quietem, ventorum inſtitium, repentè tetro nubium globo inhorreſcat

rescat cælum. Si subitò undique venti: (a)

Incubuere mari, totumque à sedibus imis
Vna Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, & vastos volvunt ad sidera fluctus.
Insequitur clamorque virum, stridorque rudentum:
Franguntur remi, tum prora avertit, & undas,
Dat latus, insequitur cumulo, præruptus aqua mons:

Et tandem oppressa fluctibus navis, petit ima fundi. Unde illa, & navis & nautarum, & vectorum ruina? Quia repentè, & improvisò, illis fæda incubuit tempestas. Nihil periculosius peregrino, quàm si ex insidiis, & latebris repentè exiliat latro, vel grassator, eumque impetat. Nihil luctuosius homini opulento; quàm si repentè ex summo felicita-

(a) *Virg. Æneid. 84.*

tis fastigio, velut turbine quodam dejiciatur ad extremas calamitates. Undè & ipse Deus; cùm propter enormia, quæ commiserunt flagitia, malis extrema minatur mala, omnia repentina sunt, quæ minatur. Sic enim detonat ore Jeremiæ: (a) *Repentè veniet Vastator super vos.* Ore Isaiæ: (b) *Repentè veniet in te miseria. quam nescis.* Ore Pauli: (c) *Cùm dixerint pax, tunc repentinus veniet interitus.* Undè rectè Plutarchus: (d) *Subita. & improvisa, facilè de statu rationis dejiciunt.* Hæc si vera sint de strage civitatis, de naufragio navis, de jactura bonorum gravissima esse, quia sunt repentina; quid dicam de eo, quod est terribilium omnium terribilissimum, de morte, inquam? si illa sit repentina, quid homini cõtingere potest funestius? Mortem, tanquam malorum ultimum, omnes

(a) *Ierem.* 6. (b) *Isa.* 47. (c) *Thes.* 5. (d) *De Ira cohib.*

nes vulgò exhorrescunt, licèt tardè prævisa, expectata veniat; quid erit, si illud, quod malorum est extremũ, veniat non expectatè, sed improviso? Quàm hoc sit formidolosum homini etiam innocentissimo, liquet ex Job, his ejus verbis: (a) *si repẽtè interroget, quis respõdebit ei?* Illa, de qua hic facit mentionem Job, interrogatio; est raptus quidam hominis ante Dei tribunal, judicialis quæstio, & examinatio, inopinata mors. In judicio autem non respondere, tacitam commissi criminis innuit confessionem: Nam si quis in Iudicio interrogatus, & postulatus tacet; lis ei æstimatur ut victo, *si* ergò *repentè interroget, quis respondebit ei?* Quis est tam innocens criminis, tam purus sceleris, tam integer vitæ, tam vacuus culpâ, tam remotus ab omni suspicione delicti, qui ei possit respondere, seque ab objectis purgare criminibus? profectò, si Deus sic repen-

(a) *Iob 9.12.*

tè interroget, homo obmutescet; si obmutescat, jam se accusat; ne dicã, condemnat. Quando quis morbo corripitur, & mortem non subitò irruentem, sed pedetentim adrepẽtem prævidet, eam certò expectat: itaque ad eam, eo quo par est modo, sese componit; cum otio, & maturè secum præmeditatur, quemadmodum respondeat Judici interroganti: conscientiam expiat; sacro se viatico præmunit, sacramenta omnia suscipit; iniquè possessa restituit; inimicis injurias remittit; testamentũ condit; heroicos heroicarum virtutum actus elicit; eleemosynas distribuit; & totum se, suaque omnia Deo committit; atque ita paratus, securus, munitus, non tantùm mortem adventantem non formidat; sed tardantem invitat. Quamobrem, si Judex illum interroget de commissis criminibus, facilè respondebit: Fateor, commisi, inquiet, pænitenda,

ſed eorum me pænituit;aliena ſuſtuli,ſed & ablata reddidi;intuli injurias,ſed & contuli eleemoſynas : ſi te gravitet offendi, offenſum piis operibus te mihi propitiavi. Quapropter pænitentia factorum, reſpondēdi ut facultatem,ſic præbet & facilitatem.At verò,ſi repentè interroget de Naturæ, & Gratiæ dotibus tam munificè tibi impenſis,de beneficiis propè innumeris in te congeſtis; de tot bonis ad bona opera inſtinctibus ; de occaſionibus merendi à te neglectis; de ſocordia in negotio ſalutis; de ejus præceptis à te violatis, de monitis non auditis : ſi, inquam; de rebus plurimis,maximis,difficillimis ſubitò,nihil minus expectantem interroget , Deus immortalis, quî illi reſpondebis? Claudetur tibi os,ſilebit lingua, obſtupeſcet mens, trepidabunt artus ; contremiſcent membra,exhorreſcet animus, obrigeſcet ſpiritus;& tuo ſilentio, priuſquam

quam Judex suâ sententiâ, te condẽnabis. Nihil igitur potest homini in hâc vitâ evenire formidabilius, aut tristius; quàm repentè spiritum intercludi; repentè ex hoc mundo abripi in domum æternitatis; repentè cogi ad reddendam rationem villicationis; repentè citari ad tribunal æquissimi Judicis. Tunc repentè mala omnia simul, & semel totâ mole in miserum incumbunt; tunc personare infausta illa Chrysaorii verba: Inducias usque mane; Quid hoc est? novissima hora est? Necdum conscientiam tot contaminatam flagitiis expiavi; necdum rebus meis disposui; non solvi debita; non restitui iniquè ablata; non condidi testamentum; non sumpsi sacrum viaticum: hinc clamor, ejulatus, desperatio, confusio in familiâ, formido in cõscientiâ, ubique angustia. Ex his fit manifestum; sic nos debere vitã instituere, ut parati simus quovis tem-

pore, mortem oppetere. Sic vitam inſtituit, quiſquis ſe poſſe quotidie mori cogitat, & quaſi quovis die moriturus ſe præparat.

Nam prævisa minus lædere tela so-
lent.

Et benè Seneca: *Aufert vim præsentibus malis, qui futura prospexit.* Refert ad ſalutem, diem mortis nobis eſſe ignotum. Reddit rationem D. Gregorius: (a) *Latet ultimus, dies ut observentur omnes dies.*

PRAXIS.

Ut benè obeas ultimum diem; expende aliquot dies, feriò, & penſiculatè tecum conſiderando, quid vulgò fieri ſoleat, vel quid tu ipſe feciſſe te optares, noviſſimo die & fac modò, quod tunc fieri ſolet. Tunc voles condere teſtamentũ, fac modò, diſcutere latebras conſcientiæ, & totius anteactæ vitæ errata in memoriam revo-

Consol. ad Marc. cap. 9. De dis. Christ.

vocare, ut illa ſacerdoti patefacias, fac modò : ignoſcere inimicis tuis, deponere odia, obliviſci injuriarum, inire cum adverſariis pacem, hæc jã ſanus peragas: tunc ſingulari pietate Chriſtum, ritu viatici ſuſcipies; jam nunc dum accumbes ſacræ menſæ, ſemper eodem virtutum apparatu illuc accede, eoq; deſiderio, ac ſi ſtatim à ſacro illo epulo eſſes mortem oppetiturus. Hæc omnia ſi modò exequeris, dum es incolumis ſine ægritudine; mors tibi nunquam obveniet improviſa : illam enim expectas, dum ad illam ita te præparas; ſi expectas, nunquam tibi erit inexpectata, ſed potiùs veniet à te expetita. Ut ſis igitur in morte ſecurus; ſepone priùs omnes , quæ cuivis in morte familiares ſunt curas : (a) *Nam ſerò parantur remedia, cum mortis imminent pericula.*

(a) *Gregor. ſupra.*

CAPUT VIII.

Summi momenti summum momentum.

QUando venit summa dies, & illius diei summum momentum; tunc quæ ab eo sequuntur, summa sunt omnia. Quia post illud temporis punctum, sequitur infinitæ Æternitatis linea. Itaque ut intellectus summum illud momentum, suis momentis trutinet; illius momentum fusiùs explanabo. Propter hominis, quo vivet, ultimum momẽtum, nihil non egit æternus Pater: nihil non protulit æternus Filius; nihil non contulit Spiritus sanctus. Propter illud momentum; Pater è cælo misit Filium in terras, propter illud, Filius Dei, infans natus est in stabulo, jacuit in præsepio, vagiit in fæno. Quidquid deinde per triginta tres annos à primo momento quo

cæpit

cæpit ſpirare in Matris utero, uſque ad ultimum, quo expiravit in Crucis patibulo, vel egit, vel dixit, vel pertulit, vel cogitavit; fuit propter ultimum hominis momentum. Ideò ſunt quatuor Evangelia, ut inde hauriremus documentum, feliciter terminandi ultimum momentum. Ideò ſunt ſeptem Sacramenta; totidem Spiritus ſancti Chariſmata: ideo decem Dei, quinque Eccleſiæ præcepta, tria Religionis vota, ideò tot ubique terrarum habitæ conciones, tot conſcripta librorum volumina, tot excogitata ſalutis præſidia. Cur tot Anachoretæ in ſolitudine, in cavernis terræ, in ferarum ſpelæis, in ſummâ vitæ aſperitate, ætatem omnem exegerunt? Cur Laurentius in candenti torretur craticulâ? Cur Sebaſtianus toto corpore excipit telorum ſilvam? Cur tot alii invicti Chriſti pugiles in equuleo, *diſtenti ſunt?* alii vero *ludibria, & verbera*

Hebr. 11. 53.

experti, insuper & vincula, & carceres? lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt? cur alii *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti?* propter ultimum vitæ suæ momentum. Ideò sunt tot Religiosorum virorum Asceteria, tot Monachorum cænobia, tot virginum clausta, tot sacerdotum Templa. Cur tot juvenes, & puellæ in flore ætatis spreto mundo, & omnibus mundi deliciis, reliquerunt domum & fratres, & sorores, & Patrem & Matrem? nonnè fuit, ut vitam æternam possiderent? Ergo propter ultimum momentum: quia æternæ vitæ possessio, non dependet à solâ vitâ; sed à vitæ momento ultimo. Hinc jam in confesso est, quanti sit momenti, ultimum vitæ momentum: quandoquidem omnia, quæ prohibentur mala, quæ jubentur bona; quæ vetantur vitia, quæ imperan-

Matth. 19. 29. tur

tur virtutes; quæ declinantur pericula, quæ audiuntur pia consilia; quæcunque ab Apostolis, ac deinde viris Apostolicis sunt acta, dicta, scripta, cogitata, tolerata; quæcunque à Deo in cælo, vel in terrâ sunt condita; omnia, singula, universa, sunt propter ultimum hominis momentũ. Hujus rei veritas est testatissima, ideoque nec indiget testimoniis. Nunquid omnia sunt propter nos homines, & propter nostram salutem? hoc est, ut homo evadat æternam mortem, acquirat æternam vitam? vita hæc, & mors, adeoque salus hominis dependent ab ultimo momento; si enim ultimo illo momento fueris particeps Divinæ Gratiæ, es hæres æternæ Gloriæ; si reus letalis culpæ, es hæres perennis pœnæ. Hinc jam consequitur, non posse, nec novem Angelorum Choros, nec omnes Cælites, nedum homines, licet forent singuli sapientia Salomo-

lomones, exertis omnibus ingenii, industriæ, & intellectus viribus, vel secum concipere, vel nobis exprimere, quanti sit momenti, bonum vel malum esse hominis ultimum momentum; sive quanti sit ponderis, benè vel malè mori. Res hæc est exploratissima: quia cùm Intellectus etiam Angelicus, certis sic circumscriptus limitibus, fieri nequit, ut concipiat infinita bona, & mala, quæ ex bona, vel mala morte consequuntur. Quæ cùm ita sint, deberetne per omne totius vitæ nostræ curriculum fluere ullum momentum, quo non simus cum cura anxii, & cum timore pavidi, & cum circumspectione soliciti pro ultimo vitæ momento; ut illud nobis sit finis omnis mali, principium omnis boni; Sæpè, sed & maturè tecum animo volve; qualia videbis, audies, intelliges, optabis soluto jam vinculo arctissimo corpus inter & animam, post novissimum

mum momentum , post ultimum halitum , post extremum emissum spiritum;omnia, quæ tunc occurrēt in altero illo mundo, erunt tibi nova,peregrina,inaudita; supra omnē fidem incredibilia, supra omnem eloquentiam inexplicabilia, suprà omnem intelligentiam incomprehensibilia.Nunc igitur seriò,ne fors postea nimis serò, cave,ne horæ novissimæ momento novissimo , occupet te mors peccato letifero obnoxium. Ne tibi contingat, quod impio illi Dynastæ Balthazari? Quãtus subitò invasit stupor , pavor, horror Balthazarem ; cùm in illo sumptuosissimo convivio legeret sibi imminere fata mel horam ! ubi minus expectandum est letum; quã in convivio,ubi omnia læta? Et scitis,quale fuerit convivium? Audite ejus apparatum ex Danielis historiâ. *Balthazar Rex fecit grande convivium Optimatibus suis mille ; & unusquis-*

Dan.5.1.v.5.

quisque secundùm suam bibebat ætatem. Præcepit ergò jam temulentus, ut afferētur vasa aurea, & argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de Templo, quod fuit in Ierusalē, ut biberet ex eis Rex, & Optimates eius, uxoresque ejus, & concubinæ. Itaq; jam omnes in omne genus hilaritatis sese effundebant: edebant dapsiliter, bibebant liberaliter, gestiebāt hilariter; sonabant cytharæ, & tibiæ, & buccinæ; circumstrepebant; omnia jocis, risibus, cachinnis, tripudijs. O inexpectata rerum omnium cōversio! sequitur in eâdem historia Danielis. *In eâdem horâ apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ Regiæ: & Rex aspiciebat articulos manûs scribentis. Tunc facies Regis commutata est; & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad invicem collidebātur.* Expende

pende illas voculas: *In eâdem horâ*, quâ nunquã inter õnes vitæ horas fuerat lætior, jucundior, ſecurior: & ut ſibi videbatur, felicior. *In eâdem horâ*, quâ inter uxores, & concubinas, & optimates, omnibus, quas optare poterat, circũfluebat delitiis. *In eâdem horâ*, quâ fors Imperii ſui fines propagare, victorias & manubias & trophæa, & triumphos meditabatur. *In eâdem hora*, intelligit ſibi migrandum ex hâc vita. Cave ne in eâdem horâ, quâ indulges genio, & ſtudes crapulæ, quâ vivis Bacchanalia, quâ agis Saturnalia; ne in eadem horâ, quâ vertes in orbem pedes tripudiando; quâ tenebis cytharam, & tympanum; ne in eâdem horâ, quâ contaminatus fueris noxâ letali, invadat te letum: ne eâdem horâ moriatur corpus, quâ mortua eſt anima. Hoc ſi contingat, eâdem horâ in puncto ad inferna deſcendes.

PRAXIS.

Hæc pauca quotidie, vel manè dum è strato consurgis, vel vesperi cùm decumbis tecum considera. Tot ab Adamo, hucusque fuêre olim funera; totidem brevi erunt, quot jam in vivis censentur capita: tu inter omnes, unus ex omnibus? de quolibet jam defuncto, unum hoc dici potest. Fuit; de nobis, Sumus, de singulis, Erimus: Fuisse, nihil est; Esse, momentum est; Fore, æternum est. Semper enim; vel in pœna inter dœmones; vel in gloria inter Angelos, immortales erimus, ubi mortales semel esse desierimus? Unde inter futurum esse, & fuisse, medium est punctum, & momentum: punctum loci; momentum temporis: nihil minus est in loco, quàm punctum; nihil minus in tempore, quàm momentum. Sic ergò vive in puncto loci, ut aliquando potiaris


Re-

Regno cœli: ſic impende momentum temporis; ut evadas æternitatem ſupplicii, acquiras æternitatem gaudii.

FINIS

DE MORTE.





Ite Venite: ex orę Iudicis: Mors est mali, vita boni hoĩs.

PROOEMIUM
DE EXTREMO JUDICIO.

Nihil eſt ad ſalutẽ homini utilius communi omniũ Sapientũ judicio, quàm crebrò ſibi proponere, extremum Dei in juſtos & improbos Iudicium, Quantus ex tam uberi argumento, ſperari & poſſit, & verò debeat fructus, paucis verbis innuit S. Auguſtinus. (a) Nihil eſt utilius populis quàm loqui de temporibus futuris. *Imò S. Chryſoſtomus adeò hoc argumentum vult inculcari, ut dicat:* Singulis diebus, & horis oportet ante oculos noſtros proponere Dei Judicium. *Conſentit cum illo D. Gregorius* : (b) Præſentis temporis ita agenda eſt lætitia, ut nunquam amaritudo ſequentis Judicii recedat à

(a) *Epiſ. ad Exſtim. Hom. 4. in Gen.* (b) *Hom. 32.*

memoria. *Augustinus vult nos loqui, & cogitare de Iudicio Dei, sæpè; Chrysostomus, singulis diebus & horis; Gregorius, semper. Ubi tanta est tantorum virorum, qui hoc argumentum commendant auctoritas, quæ inde non speranda utilitas? Sed si non satis permoveat humana, accedat & divina auctoritas. Christus cœlo jam insertus, volebat totum innovari mundum, ubique gentium, ubique terrarum promulgari Evangelicam doctrinam, destrui idola, everti inanium Deorum aras, confringi illorum simulachra, refutari vanam Philosophorum doctrinam, adduci gentiles omnes ad novam & peregrinam religionem; moveri omnes ut humilitatem, castitatem, paupertatem rejectis opibus, honoribus, gloriâ, amplecterentur: ut omnes accurrerent morituri sub signo Crucis; quod Judæis erat scandalum, Gentibus stultitia, omnibus maledictum. Res magna. Quis*

per-

perficiet? Pusillus grex. 12. Piscatores. Rectè. Sed quomodo ea mundo persuadebunt? Quid dicent coram Oratoribus, Philosophis, Iudicibus, Regibus, Tyrannis? Quibus argumentis confundent eorm sapientiam? Quibus rationibus confirmabunt suam, quam prædicant religionem? Quibus stimulis excitabunt eorum socordiam? Quibus facibus inflammabunt ignaviam? Quibus præsidiis flectent contumaciam? Extollent illis Virtutis pulchritudinem? Sed Virtus illis nec de facie nota est: Proponent vitiorum turpitudinem? Sed nil est ulli turpe, quod omnibus est commune: quidquid est illicitum, apud illos est publicum. Forsan allicientur cœli gloria? Imò dicent, cœlum cœli Domino. Horrebunt fors proposito Inferorum supplicio? Sed ne quidem an Inferi sint, sciunt: & si sciunt, contemnunt. Tu ergò ô Christe, qui concionandi imponis præceptum,
 iisdem

iisdem concionandi præbe argumentum. Præbuit, & quid præbuerit, audite: & non aliud fuisse invenietis, quam hoc ipsum quod tractamus. Stabat primus Apostolorum Petrus in celebri Gentilium corona, quibus ait (verba sunt D. Lucæ in actis Apostolorum) (a) Ipse præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo Judex vivorum, & mortuorum. *Nullum Ipsa æterna Sapientia judicabat esse argumentum, quod haberet plus vel roboris ad persuadendum, vel terroris ad percellendum, vel virtutis ad totum mundum innovandum, quàm quod omnibus instabat Judicium. Expertus hoc ipsum fuit is qui à Divo Chrysostomo vocatur argentea Spiritus S. Tuba, magnus ille Evangelicæ doctrinæ buccinator D. Paulus. Stabat, ut reum decebat, Paulus abjectus, & humilis pro tribunali, in quo sedebat cum fastu Judex, Felix nomi-*

Actor. cap. 10. *ne;*

ne; aſſidebant in ſubſelliis, qui Paulum accuſabant Judæi. Cœpit Paulus ſumma cum gravitate, atque facundia diſſerere de Juſtitia, caſtitate, fide Chriſti, ac tandem de futuro olim Judicio, perorare. Quo ſucceſſu? Qui vix potuiſſet ſperari. Cùm de Judicio diſſereret Paulus, repentè Felix qui conſidebat in ſolio Judex, ac ſi ipſe fuiſſet jam reus, cœpit mutare colorem, toto pallebat vultu, immutata eſt facies ejus, erecti ſtetere capilli, cohorruit animo, tremuit corpore, genua ad ſe invicem collidebantur, & jam prope exanimis omnibus artubus trepidabat: quaſi non audiret loquentem de Judicio, ſed ipſe jam ſtaret judicandus. Quæ cuncta paucis his verbis expreſſit D. Lucas. Diſputante autem illo (*nimirum Paulo*) (a) de Juſtitia & caſtitate, & de Judicio futuro, tremefactus Felix, reſpondit. Quod nunc attinet, vade; tempore

(a) *Act.* 24.25.

pore autem opportuno accersam te. *Quod si ita tremuerit Ethnicus, quid ni sperem à te lector Catholice, hoc tragico argumento injiciendum timorem Domini, qui est Initium Sapientiæ, hoc est, principium Gratiæ.*

CAPUT I.

Evigilat homo vetus sonitu tubæ sepulchralis, citantis eum ad Judicium.

NUlla re vel citius, vel facilius excitabitur è suo, quo sopitus est veterno, homo vetus, dum obstrictus est lethali noxa, quã si ejus auribus insonet, ultima mundi tuba. Perceperat illius tubæ clangorem aure propheticâ Sophonias, ideò diem Judicii, (a) *Diem tubæ & clangoris* appellavit. Quod & Christus confirmat juxta ac Paulus: Christus iis verbis: (b) *Et mittet Angelos suos cum*

(a) *Soph.c.*1.16. (b) *Matt.*24.31.

cum tuba, & voce magna. D. Paulus: (a) *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, & mortui resurgent incorupti.* De hac tuba loquitur D. Gregorius. (b) *Vox tubæ terribilis, cui omnia obediunt elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, portas æreas frangit, vincula mortuorum disrumpit.* Dubitatur an unica tantum, an plures inflandæ sint tubæ, cùm dicat Christus: *Mittet Angelos suos cum tuba*: Si mittendi sint plures Angeli, plures inflandæ videntur tubæ. D. Chrysostomus, Anselmus, & alii censent, plures mittendos Angelos, & singulos cum suis tubis. Sunt qui existimant Archangelos singulos, qui fuerint tutelares Præsides Provinciarum, in singulis quas custodierint Provinciis, tubam inflaturos. Itaq; per totum Belgium tubam inflabit Archangelus custos Belgii, alii per

(a) *1. Cor. 15. 52.* (b) *In. 1. ad Corin.*

ſuas Provincias. Hic porrò tubarum ſtrepitus, paululùm ante Reſurrectionem incipiet, & audietur à mortuis, vi, & ope animarum, quæ ſonos ſentiunt, & colores, non ſecus atque Angeli, & offerent ſe corporibus ſuis, quæ eodem temporis puncto inſtaurabuntur, & ſuis reſtituentur animabus, ſimulque perſtrepentium tubarum fragores exaudient. Præter tubam, putant aliqui adhuc edendam ſonoram per orbem univerſum vocem, à tubæ ſonitu diſtinctam: (a) cùm dicat D. Paulus: *Ipſe Dominus in juſſu, in voce Archangeli, in tuba Dei.* Putant ergò aliqui immenſam quandam, & latè reſonantem vocem, & articulatam efformandam, videlicet illam Eccleſiæ familiarem: *Surgite mortui, & venite ad Judicium.* Hæc vox & tuba talem edet ſonitũ, qualis ab inito mundi uſque ad illam horam

(a) *Theſſ.* 1. 15.

horam non fuit auditus. Erit fragor qui obstupescendo murmure per montes & valles, per aspera saxorū, ad plana camporum, per silvas & tesqua, per pagos, & oppida, per terras omnes, mariaque omnia latè remugiet, ac rauco boatu personabit. Hic ipsæ tubæ clangentis sonus ad summa usque cœlorum pervadet, ut inde deducat beatas omnes illas animas, quæ post redivivum Salvatorem ad eam usque horam admissæ fuerunt in cœlum, ut antiquum cum corporibus suis connubium meliore conditione redintegrent. Idem illud tonitru totis illis Inferorum cavernis reboabit, abducetque omnes reproborum animas, quæ ab ortu rerum ad illud tempus, illuc descenderunt. Illa tuba sepulchra omnia aperiet, & deposita corpora, ab omnibus elementis integra, atq; inviolata reposcet. Verè dici potest illa dies belli, & stragis, & sanguinis,

dies, quæ toti orbi rupta pace, sed præcipuè improbis, bellum æternum indicet. Atque adeò in hujusce rei signum tubæ per sepulchra regionum perstrepent, & clangorem bellicum edent, adeò horribilem, ut ad imos usque antipodes audiendus sit, & ad illius auditum, quidquid hic in terris, prosternendum. Quale erit spectaculum ad primum hujus tubæ sonitum, non ut olim tantum muros Jerochontinos, sed pyramydes excellentissimas concidere, mõtes altissimos tremere, inferorum claustra reserari, mortuos sepulchretis egredi, ac totum mundum timore concuti? Tunc verum erit illud paradoxum: *Veniet tempus quo dãnati nolent egredi ex inferno, & beati nolent manere in cœlo.* Damnati nolent egredi ex Inferno, partim ne videant faciem fulminatricem Judicis, partim ne subeant probrum publicum condemnationis, partim ne

cogantur assumere corpora, quibus præter animæ pœnas, novas alias luant, adeoque duplices. Beati contrà optabunt egredi ex cœlo, tum ut oculis suis aspiciant Judicem, & auribus percipiant illam optatissimã & expectatissimam sententiam, venite Benedicti; tum ut corpori suo jam glorioso uniantur: utinam tuba illa terribilis insonaret auribus nostris, dum jacemus molliter inter cygneas plumas, & nescio quas vel læva mente cogitationes volvimus, vel levi corde desideria concipimus. Utinam in mediis conviviis dum toto mento, & mente sumus effusi in cupedias, & patinas, & struices, & calices, & cantharos, iterum streperet illa tuba. Si velis lætis auribus excipere illam formidandam, quam tum in die tribulationis inflabit tubam, Divina Justitia, audi tubam illam Jubilæi, quam nunc in die salutis, inflat Divina Misericor-

dia.

dia. Quoties dum ſolus in cubiculo lectitas pium codicem, dum in ſacro tribunali errata ſacerdoti exponis, dum menſæ accumbis Euchariſticæ, dum verbum Dei è cathedra audis; Divini Spiritus inſtiuctu, afflatuq; cœleſti, percipis inſonantem animo illam Miſericordiæ tubam: (a) *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere.* Nunquam Deus aliquem gravius caſtigat, vel etiam ſubitò mori permittit, quin Miſericordiæ ſuæ tubam, quæ officii eum moneat, & ad reſipiſcendum moveat, præmittat. Ideò tam ſerò monet David. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Non dicit ſi audieritis in Paſchate, quo lex jubet quemque Sacramento expiatorio animum purgare, ſi poſt annum, ſi poſt menſem, ne quidem ſi cras. Sed *hodie ſi vocem ejus audieritis*, id eſt tubam invitantis Miſericordiæ ad gratiam,
ad

(a) *Rom.* 12. 11. (b) *Pſal.* 94. 8.

ad vitam, ad perfectionem, ad salutem: *Nolite obdurare corda*, nec obturare aures. Plerumque enim carò constat hic esse surdum. Id olim expertus est maximo suo damno, utpote animæ suæ exitio, nobilis quidam de quo commemorat S. Bonaventura in vita S. Francisci. Hic ut erat vir gnaviter impius, lethali correptus est morbo, quo cùm infestaretur, unicum sibi delegit in illa necessitate perfugium, D. Franciscum, qui fortè in eadem commorabatur civitate. Franciscus paucis ad Deum fusis precibus, homini morbido restituit valetudinem: quem incolumem seriò admonuit, ut seriò resipisceret, ad frugem rediret, ne quæ ei reddita erat salus corporis, esset interitus animæ. Promisit; sed promissi, simul & Dei, & à Deo obtenti immemor beneficii, rediit canis ad vomitum, sus ad volutabrum, revolvitur ad pristina scelera. Sed non

gra-

gratis fuit Deo ingratus. Nam cùm nocte quadam in plumeo jaceret, & quiesceret strato, nescio quo infortunio, indubiè Divino consilio, tectum domus corruit, eumq; somno, vitiisque sepultum, improviso obtrivit, nec prius oculos aperuit, quàm ubi se è plumis reperit in flammis, è lecto in orco.

OBSERVATIO MORALIS.

Alia erit vox Dei ultimo mundi die, alia est modò, cùm est dies salutis. Tunc erit tempus belli, nunc est tempus pacis. Tunc vox Dei erit tuba, nunc est aura; tunc erit tubæ sonitus, nunc est auræ sibilus, tunc erit sonitus terribilis, jam sibilus tenuis; Sic eum percepit Elias (a) *Post ignem sibilus auræ tenuis.* Ne tunc horreas tubæ sonitum, nunc audi auræ sibilum. Quælibet inspiratio Sancti Spiritus, est cælestis auræ sibilus: si percipias hunc ex alto sibilum,

(a) *3. Reg.* 19.12.

erit

erit ad animi jubilum, quia erit pro animo Jubilæum. Hic sibilus est vox Misericordiæ, quæ nunc loquitur minaciter, ut timeas, nunc suaviter ut diligas, nunc fortiter, ut doleas, nunc hilariter, ut gaudeas. Insonat variis locis; Salomoni in lecto, Saulo in campo, dicens Saule, Saule; Augustino in horto, cũ audiret: Tolle, tolle: Francisco in templo, Huberto in sylva. Cave ad eam vocem sis surdus, quia sæpe ab illa dependet tua salus. Non percepisse hunc tenuis auræ sibilum, fuit multis ad exitium.

CAPUT II.

Post tubæ sonitum, sequitur Resurrectio corporum.

Tubâ ubique, & per omnia cœlorum, terrarum, inferorum spatia resonante, mortui tanquam ab altissimo somno excitati, è tumulis patefactis resurgent & celerrimè ad lo-

cum Judicii transferentur. Sed quãto diſcrimine reſurgent electorum & improborum corpora! Petit S. Paulus (a) *Quomodo reſurgent mortui? Quali autem corpore venient?* Idemne erit corpus divitis Epulonis, & Lazari? Caini & Abelis? Judæ Apoſtoli & Judæ proditoris? De diſcrimine itaque corporum, quibus omnes in magno illo theatro comparebunt, erit nobis ſermo 1. Contemplemur electorum, deinde reproborum corporà. Panduntur omnia in Ægyptiaca ſolitudine ſepulchreta, ex quibus prodeunt illi ætate venerabiles, à canitie olim ſuſpiciendi viri, Pauli, Antonii, Hilariones, Pachomii, Paphnutii. Aſpice nunc illa corpora, in receſſu olim ſolitudinis macerata, ſole torrida, aqua, & paucis dactylis paſta, jejuniis enecta, inſomniis exanguia, exaſperata ciliciis, verberibus lacera: quæ teſqua & ſylvas, quæ ſpecus &

(a) 1.Cor.15.35.

antra incoluerunt, vepribus, & ſpinis prope inſepulta. Nulla jam apparet in genis macies, nullus in vultu pallor, nullæ in oculis lachrymæ, nullus in pectore livor. Ubi jam ſaxum tuum Hieronyme, quo pectus percutiebas? Ubi ô Paule veſtis tua è palmis contexta? Ubi ô Joannes zona illa tua piloſa, & hiſpida? Ubi tuum ô Hilarion cilicium? Quanta in fronte ſerenitas, qualis in oculis fulgor, quæ in genis venuſtas, quam inſignis in omnibus membris decor! Fulgent jam illa corpora quatuor exquiſitiſſimis dotibus nobilitata, nimirum claritatis, agilitatis, ſubtilitatis. Quodlibet ergò corpus electi, immenſo ſplendore coruſcabit, aſſerente Chriſto, fore, ut (a) *juſti fulgeant ſicut Sol in regno Patris eorum.* Mirabilis quoque erit eorundum corporum agilitas, ut huc illucque ſe pro arbitrio transferant, nulla gravitate tardante, adeò ut ſapiens

(a) *Matt.* 13. 43.

piens justos comparet ſcintillis, quæ vento agitante omnem in partem feruntur. (a) *Tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Inſigni quoque ſubtilitate prædita erunt illa corpora, adeò ut alia corpora facilè penetrare poſſint. Sicut corpus Servatoris beatæ vitæ redditum, ingentem illum lapidem quo Sepulchrum tegebatur, ſine ulla ſciſſione penetravit in mortem ſpiritus, qui carcerum muris, portiſque retineri non poteſt. Deinde nulli perpeſſioni obnoxia erunt hæc corpora. Quatuor has corporis glorioſi dotes colligunt Theologi ex illis verbis Pauli: (b) *Seminatur in corruptione; ſurget in incorruptione.* Ecce dotem impaſſibilitatis. *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloriâ.* Ecce claritatis: *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute:* Ecce agilitatis: *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale:* Ecce ſubtilitatis do-

(a) *Sap.* 11. (b) *Cor.* 15. 44. tem.

tem. Sed interim dum nos verbis exornamus beatorum corpora, ecce tibi, summa pernicitate Animæ electorum è cœlo ad suos tumulos, inde ad corpora advolant. Deus immortalis, qualis hic erit occursus, inde Animæ in cœlo, hinc corporis è tumulo? quam lætis oculis corpus aspiciet beatam suam animam! quales erunt Animæ, & corpori dialogi, quàm suavia colloquia, quàm dulcia oscula, quàm amabiles amplexus! audite panegyricam, quam tunc Anima ad corpus habebit orationem. Occurret Anima dicens carni: Eja Soror, & Sponsa carissima salve. (a) *Iam hyems transiit, imber abiit & recessit, surge anima mea, & veni.* Implevit Deus desiderium nostrum: ô carissimum corpus, ubi hactenus delituisti? Ubi per tot sæcula domicilium habuisti? Deus bone, tune in obscura & fœculenta sepulchri caverna, in cineres & pulveres

(a) *Cant.* 2.

veres redactum, in cadaverosa ossium congerie jacuisti: & ego paradisum hucusque incolui? Hoccine operum tuorum præmium? Hæccine sudorum, & laborum tuorum merces? Alia te manet mecum remuneratio. Tu comes itinerum & laborum meorum fuisti; tu mecum injurias & contumelias propter Christum pertulisti; tu jejuniorum, & vigiliarum laborem, tu crucem pœnitentiæ, tu victus difficultatem, tu rerum omnium inopiam mecum sustinuisti? Quoties ori tuo panem subtraxisti, ut Christum in paupere aleres. Quoties vestem ut pauperem vestires, tibi ipsi detraxisti? Quoties renunciasti possessionibus tuis, & opibus, & juri tuo, ne pacem cum proximo non haberes? Æquum igitur est, ut quæ mecum in lacrymis seminasti, mecum etiam in exultatione metas; & ut quæ fueras pœnitentiæ, jam comes sis &
glo-

& gloriæ. Exſurge igitur de pulvere, & conjungere mihi, mecumque ad percipiendum laborum tuorum præmium veni: Pergamus læti, atque alacres ad judicis dexterã cum cæteris; nam hodie æternam cæli gloriam nullo tempore finiendam ambo percepturi ſumus. Tunc igitur animus carnem, & caro animum dulcisſimè amplectentur, & felicisſimo ac indiſſolubili nexu conjugentur, & in ictu oculi corpus quatuor illis glorioſis dotibus nobilitabitur. Tunc dicet ſpiritus carni: (a) *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es*: Et reſpondebit caro ſpiritui: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* Sic ergo unà unientur corpus & anima, caro & ſpiritus.

VI. Sed modò ab electis ad improbos, & eorum corpora oculos convertamus. O quam erunt diſparis conditionis corpora reproborũ!

(a) *Can.* 2.

illa pro illuſtri ſplendore, tenebroſa obſcuritate induentur, quæ congruat tum tenebroſo illi carceri, externiſque tenebris in quas projiciendi ſunt, tum internis tenebris, in quibus vixere, æternumque vivent. Et ſicut ſplendor beatorum corporum comitem habebit admirabilem quandam pulchritudinem, ita iſtorum corpora odioſisſimam fæditatem. Eadem corpora prægravia erunt, ea præſertim, quæ pigritia à ſuo officio ritè fungendo abduxit. Etſi autem immortalia erunt corpora, & indiſſolubilia, (nullius enim erit aut bonis aut malis ultra morti locus) erunt tamen mirum in modum patibilia! nec ullo membro carebunt, ut, quoniam membris omnibus peccato ſervierunt, membris omnibus patiantur. Nullo morbo laborabunt, quo ulla in parte corporis morſus doloris hebeſcat, aut retundatur, ſed ubique

potius

potius acerrimè atque acerbissimè sentiatur. O infelix, qui unius dentis dolorem ferre non potes, quid facturus es, si in illo perditorum numero censearis, quibus post acceptam à Deo maledictionem, omnes dentes, omnia ossa, omnes venæ, nervi, arteriæ, omnes pedum, manuumque digiti, omnia viscera, omnia intestina dolebunt. Erunt ergo omnia illa corpora tanquam fœdissima monstra squallida, lurida, nigra, gravia, fœtida, graveolentia. Sed videamus quo pacto illa resurgent. Aperitur in Babylone marmoreum mausoleum, indeque egreditur Alexander olim Magnus, jam minimus, illo erecto collo Bucephalum, coronam, ac sceptrum postulat: sed mox dimittit supercilium ac cristas, & mæsto vultu terram intuetur. Surgit in Græcia Xerxes, circumspicit ubi sint equitum turmæ, peditum cohortes: Vi-

det se solùm. Surgit in Italia Tullius, pulpitum flagitat, rostra quærit; sed mox confusus silet. Prodit dives Epulo; quærit mensam, & byssum, ac purpuram: videt se iis destitutum. Egreditur è tumbâ, impia Jesabel: requirit speculum, calamistros, fucos, strophium, & nusquam videt. Surgit hic Cæsar sine diademate, Rex sine corona, Princeps sine purpura, Senator sine toga, Miles sine sago, Philosophus sine pallio, Eques sine ocreis, Episcopus sine mytra, Abbas sine Pedo, Sacerdos sine casula: omnes nudi. Dum ita stant super tumulos illa maledicta cadavera, illa inauspicata corpora, ecce tibi è centro terræ, ex caliginoso Inferorum spelæo emergunt æquè maledictæ Animæ, quæ ubi venient in conspectum suorum corporum, proh Deus! qualis hic erit utrimque ululatus, quam flebiles utriusque Elegiæ, quam aspera Ani-

mæ

mæ in corpus ſatyra: quo vultu ſe mutuò intuebuntur. Quam ægrè hoc par conjugum ſibi dabit manus? quot maledictis ſe mutuò lacerabunt, quot diris ſe devovebunt? Quibus verbis ſe mutuò ſalutabunt: ô infelix corqus (inquiet anima) tu initium ac finis calamitatis meæ: ô non amplius ſodalis meus, ſed infenſiſſimus hoſtis: non amplius adjutor, ſed perſecutor, non amplius mihi eris domicilium, ſed ergaſtulum. O meritò infelix! quam carò jam mihi conſtant momentaneæ voluptates illæ tuæ? ô fœtida caro! quanta tu mihi tormenta tuis illecebris theſaurizaſti! Hæccine eſt illa caro, propter quam tot commeſſationibus, & ebrietatib⁹ vacari? propter quã tot fornicationes, tot ſacrilegia, tot adulteria perpetravi: propter hunc ſaccum ſtercorum, regnum cælorum amiſi? propter hunc vilem & putridum truncum, vitæ

vitæ æternæ jacturam feci ? ô palatum infelicissimum ! propter te ego terras & maria fatigabam. O venter infortunate, & quomodo ita insanivi, ut te pro Deo colerem ? Hactenus ego quidem tartareis ignibus arsi; sed nunc tempus est , ut & tu mecum particeps sis pœnæ , quia fuisti & consors culpæ. O centies millies maledictum corpus , cur tu mihi obviam occurris? Cur non potius in tenebrosa & purulenta sepulchri c verna , æternùm in cinere & pul ere delitescis ? O te sceleratum, ô me infelicem , quæ ad immaniora tormenta experienda denuo tibi conjungor. Veni miserum, & iniquum corpus , nunc enim oportet nos coram summo Judice comparere, atque sinistram ejus manum cum improbis tenere , ad infaustissimam maledictionis sententiam percipiendam. O Furiæ, ô spiritus tartarei ! Quid moramini? cur me

me non diſcerpitis? cur ad nihilum me non redigitis? O maledicta dies infelicis meæ nativitatis, quæ fatum hoc dirum, & infauſtā hanc cœli figuram habuiſti, ut pro momentaneis voluptatibus cruciarer. Hæc igitur atque alia generis ejuſdem Anima, in carnem ſuam, cum ingenti rabie atque odio evomet, quam tamen cùm hic in terris cum illa moraretur, tanquam Deam colebat, atque ut ejus libidinibus ſatifaceret, Dei legem frangere, ac violare non verebatur. Quam violentum Animæ tunc erit, denuo uniri tam infauſto corpori? Itaque tunc miſerum illud corpus incipiet horrendum ſtridere dentibus, Anima verò aëra implere lamentabilibus queſtibus. Quippe tam corpus, quàm anima ex omni parte, & ab omnibus creaturis deſtituentur; Quia, ut benè Chryſoſtomus, *Ibi non erit reſiſtendi virtus, nec pœnitentiæ locus, nec defenſionis tempus, nec fugiendi facul-*
 tas,

tas, nec latendi possibilitas, nec apparendi securitas, nec satisfactionis utilitas; & ex angustia omnium nil remanet ibi, nisi luctus: Quia nec proderunt divitiæ divitibus, nec parentes filiis, nec Angeli pro hominibus intercedent. Ita ipse.

OBSERVATIO MORALIS.

Maximum hic futurum ostendimus discrimen iter proborum & reproborum corpora. Hic debet fieri electio: Tale enim ibi corpus resurget, quale hic vivet. Nam ut ait Apostolus, messis sementi respondebit: (a) *Quæ seminaverit homo, hæc & metet.* Non vis ad vitam suscitari appenso ad collum laqueo instar Judæ proditoris, & fronte notâ desperationis inscriptâ? Fuge illius avaritiam; proditionem execrare. Non vis excitari à mortuis Caino similis, inustus stigmate perditorum? Ne illius invidiam de alie-

(a) *Gal.6.7.*

alienis bonis, multoque minùs cædes innocentium imiteris. Times tanquam alter Esau redivivus comparere ingratus Deo, infestus hominibus? ne ingluviem secteris ; ne probos ut olim Esau , persequare: Nullus aliquando inventus est canis, aut lupus, nullus ursus, aut leo, rabidiore fame stimulatus, iis qui hac olim vita ventrem, quasi Deum coluêre : jejunium & ciborum abstinentiam contempsêre, & tenui, brevique cœnâ , dæmoni animam suam vendidêre.

CAPUT III.

Crux ante adventum Judicis apparens in aere, variis vario se exhibebit Schemate.

POst tubæ sonitum formidabilem, post resurrectionem corporum admirabilem , post separationem Justorum à reprobis terribilem, illi-

co signum magnum apparebit in cælo, illud ipsum quod erectum fuit olim in monte Calvariæ, quod erit Justis ad solatium, reprobis ad supplicium. Patet ex verbis D. Matthæi. (a) *Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo.* Plerique SS. Patres conspiranti assensu existmant, hoc signum fore ipsissimam crucem, in qua Redemptor mundi, pro salute nostra, inclinato capite tradidit spiritum. Deferetur ergò Crux per Angelos, priusquam in scenam prodeat supremus Judex, statueturque in conspectu omnium, veluti signum Redemptionis nostræ, & inclytum victoriæ trophæũ, ac nobile amoris in nos monumentum. Exponetur autem orbi vexillum Crucis in ipsa Judicii die, paulò antequam Judex in throno suo judicaturus considéat. Sunt qui existimant, unà cum cruce proferenda alia Dominicæ passio-

(a) 24. 30.

nis

nis instrumenta, lanceam, columnam, flagella, spinas. Favet D. Thomas sic loquens (a) *Veniente Domino ad Iudicium, signum Crucis & alia passionis indicia demonstrabuntur.* Alii censent, apparente Crùce, etiam electorum frontes vi Angelica, cruce notandas. Sic enim D. Joan. vaticinante Spiritu aliquando futurum edixit, cùm Angelos sic inter se colloquentes induxit (b) *Signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Quapropter electi omnes habebunt in fronte expressum signum Crucis, & ex illo signo, Pastor agnoscet oves suas, Magister discipulos, Judex electos, Dux milites, Pater filios. Sunt non pauci ex SS. Patribus, qui sentiunt, producendam cum Cruce & Arcam fœderis, quæ fuit typus, & umbra Crucis. Et confirmant suam sententiam D. Joannis oraculo sic scribentis (c) *Et apertum est Templum*

(a) *Opne cap.244.* (b) *Apoc.3.7.*
(c) *Apoc.11.19.*

plum Dei in cælo, & visa est Arca testamenti ejus in cælo. Ut liqueat omnibus benè convenisse veterem legem cum nova, nec tam adversa, quàm diversa præcepisse. Ubi jam Crux omnium oculis conspicua apparuerit in medio aere, miro splendore circumfusa: Tunc (ait Evangelista) *plangent omnes tribus terræ.* Hoc est, impii omnes aspectu crucis exulcerati, edent clamosissimum quendam cum mæstissimâ lamentatione planctum, qui toto aere, confuso strepitu personabit. S. Augustinus sic loquitur de illo planctu. (a) *Tunc plangent omnes tribus terræ, videntes accusatorem suum, id est, ipsam crucem, & in ipso arguente cognoscent peccatum, serò & frustra fatebuntur suam cæcitatem.* Plangent ergò impii, quia videbunt tunc instrumenta, & Christi stigmata; æquè ac sua scelera, quæ illorum fuerunt causa. v.g. Videbit Judas se sua pro-

(a) *Serm. 130. de temp.*

proditione Christum adegisse in crucem; videbit dives Epulo, se suis deliciis confixisse Christum, videbit superbus se suis honoris punctis, avarus se suis fraudibus, ac usuris, adulter, se suis libidinibus, pugnax se suis mucronibus, transfixisse Christum, videbit quisque impius, quot plagas suis sceleribus Christo inflixerit, quot spinas ejus capiti infixerit. Videbunt ergò Christum, non jam amplius tanquam sub judice reum, sed verè Judicem reorum; videbunt non jam contemptibilem, sed plane terribilem; videbunt cum cruce quidem gloriosa, sed non in cruce ignominiosa. Ita enim Augustinus. (a) *Sedebit Iudex, qui stetit sub judice, damnabit verò reos, qui falsò factus est reus.* Plangent ergò omnes tribus, pectora sua percutientes: O quam justam plorandi, & lamentandi causam habebunt! Plangent,

(a) *De verb. dom.*

gent, eò quod non amplius possint agere pænitentiam, nec effugere Dei Justitiam, nec declinare maledictionis sententiam. Plangent ob præterita scelera, præsentem confusionem, futura supplicia. Deflebunt sortem suam tristissimam, ortum suum inauspicatissimum, & finem suum infelicissimũ. Crux ergò quæ solebat esse amoris signum, & fœderis, spes peccatorum, solatium afflictorum, refugium desperatorũ; tunc erit malorum omnium prognosticum, impiorum terror, belli signum, & ruina peccatorum. Nullum ergò ô peccator habebis refugium, tota spes concidit, nullum asylum, dum arbor redemptionis, lignũ vitæ contra te insonabit, edetque vocem non ut modò gratiæ, sed vindictæ. Si Crux terret, quis consolabitur? si totiꝰ pietatis signum exanimat, quis animabit? si Christi sanguis contra nos vociferetur, quis pro nobis clama-

clamabit? Si in Christi vulneribus, & visceribus, quæ misericordia affluunt, jam misericordia non invenitur, ad cujus opem confugiemus? Crux ergò exhibebitur ad majorem improborum punitionẽ. Producetur deinde Crux, ut omnes Judæi, qui olim clamabant; Crucifige, Crucifige, & impii Christiani, inimici Crucis Christi; qui rursum crucifixerunt eum, agnoscant, illud ipsum esse lignum, cui illum confixerũt. Quomodo tunc stupebit Pilatus, qui tradidit eum voluntati Judæorum, ut crucifigeretur? quid Annas, quid Caiphas, quid Sacerdotes, & Scribæ, & Pharisæi dicent, qui nihil non egerunt, ut cruci affigeretur? quomodo illi plangent? Rarum est, quod contigit nostro sæculo, in ditione Pervana, uti refert Antonius Valthrinus. (a) In ejus ditionis provinciam, cùm quidam Christiani fugîssent, unus

(a) *Raderus viridar. p. 1. f. 273.*

ex iis inter sarcinulas, Crucifixi imaginem fortè conjecit: qui cum posteà ad illius Provinciæ Metropolim pervenisset, multique admirabundi quærent curiosius, quid illud esset? Respondit illum esse Christianorum Deum. Quæ res hominum sermonibus celebrata, ad Principis aures pervenit: is eadem videndi cupiditate induct⁹ in areã palatii cum trecentis circiter viris processit, hominemque sibi cum imagine sisti jussit, quam cùm in manus sumpsisset, diligenter cõtemplatus. Hiccine, inquit, Deus est Christianorum? Ille ipse, inquit Indus. Tum Princeps, ain tu? Hiccine Deus est, quo adjutore Christiani Indas, totumque regnum Pervanum subegerunt? Cùm Indus affirmaret; At hic, ait Princeps, homo est, omnibus cruciatibus necatus; simul ad imaginem expuens, homini reddit. Mirum dictu; statim ut Indus in manus accepit imaginem, cæpit illa ca-

put, quod in dextram partem inclinatum habebat, ad ſiniſtram convertere, & oculos in Principem, cæteroſq; qui aderant defigere, qui omnes continuò, præter eum, qui Crucifixi tenebat imaginē, conciderunt proni in terram, ac tribus horis ſine ſenſu, ac ſpiritu mortuis ſimiles jacuerunt. Quos cùm populus mortuos exiſtimaret, ingens tota urbe luctus excitatꝰ eſt. Intereà Princeps, ac deinceps cæteri ad ſe rediens, ſurgenſque exclamavit; Verè magnus eſt Chriſtianorum Deus: reliquiſque omnibus ſtupore quodam defixis, ac pavidis, pœnâ propoſitâ edixit, ne quis impoſterū Chriſtianorū Deum blaſphemaret: atq; extructo, ornatoq; juxta palatium ſacello, ibi Crucifixi imaginem collocari, atque ab omnibus adorari juſſit. Ille Princeps poſteà cum filio unigenito ſexenni, mutatis veſtibus, ne poſſet agnoſci, contulit ſe ad oppidum pro-

ximum, ubi erant nostri Patres, ibiq; sacro Baptismatis fonte ablutus est, & statim post expiravit. Quod si Indi illi steterint ita attoniti, ad exiguum illud Crucifixi simulachrum: quid dicent in die Judicii omnes Judæi, Ethnici, Gentiles, quando videbunt Sacrosanctum Crucis lignum in aëre sublime, tanto conspicuum fulgore? Nonne illi meritò inquirēt. Hoccine est lignum illud, quod Judæis erat scandalum, Gentibus stultitia? Hoccine est lignum, quo fractæ sunt tartarorum fores, evacuatus limbus, aperti cœli, debellati hostes, devicti dæmones, sublata mors, dejecta idola, proscripta ex toto orbe idololatria? Hoccine est lignum triumphale, quo sibi Deus Christianorum totum subjecit orbem; quo sibi acquisivit potestatem omnem in cælo, & in terra?

OBSERVATIO MORALIS.

Jam Crux eſt arbor ſalutis : in ea Chriſtus ſal⁹ noſtra extendit ad nos manus, ut nos amplexetur : in eâ inclinat caput, ut nos oſculetur, & orationibus noſtris annuat, in eâ diſtillat balſamũ ſanguinis ſui, ut vulnera noſtra curet, in ea nobis pectus ſuum patulum offert, ut nos in viſceribus ſuis cõdat, & ab ira ventura abſcondat : juxta eam Virgo ac Mater ejus, ut pro nobis intercedat. Sed in illa die nihil horum amplius in cruce reperietur. Ubi tunc Deipara? Ubi apertum latus, ubi ſanguis, ubi caput inclinatum, ubi brachia amplexantia, ubi Chriſtus ? Audi Oſeam. (a) *Vadent ad quærendũ Dominum, & nõ invenient, ablatus eſt ab eis.* O verbum aſperum ! Nos ut conſpectâ illa cruce gaudeamus, & exultemus ob ſalutem per crucem obtentam, dicamus cum Paulo. (b) *Abſit*

(a) *Cap.* 5. (b) *Gal.* 5.14. G 4 *mi-*

mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri JESU CHRISTI. Veneremur hanc crucem Salvatoris, dum adhuc in nostro hemisphærio lucet dies salutis. Convertamur jam toto corpore & corde ad crucem & crucifixum, & dicamus cum matre nostra Ecclesia: *Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus.* Te obsecramus per illã crucem quam incurvo corpore, inclinato vertice, capite spinis coronato, fractis humeris, lacero tergo, sanguinolentis pedibus, lachrymantibus oculis, suspiranti corde, pro nostra salute portasti, repens per plateas Jerusalẽ, ad mortẽ Calvariæ; Per illã crucẽ te obsecramus, quam perfudisti tuo sudore, tuis lachrymis, tuo sanguine, in qua pro inimicis Patrem orasti, latroni paradisũ promisisti, Patri spiritum reddisti, ut hæc Crux in die Judicii sit nobis instrumentum vitæ, non mortis; salutis, non perditionis,

clavis

clavis denique cæli, ubi tecum æternūm regnemus, qui regnasti à ligno.

CAPUT IV.

Bene expensus descensus è cælo supremi Judicis, erit ascensus ad cælum novi hominis.

QUidquid hactenus de supremo Judicio, de die Domini magno, de tremenda illa cælo, terræque, Divinæ Justitiæ tragædia, vel à me dictum, vel à te fuit lectum, non fuit nisi quoddam ad ea quæ sequuntur, leve prælудium. Quod enim in hoc argumento est impiis maximè formidandum, est ipsa formidinis plena Judicis persona. Postquam Deus gravissima intulisset supplicia Samaritanis, quasi hactenus illis pepercisset, mox subjungit. (a) *Postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui.* Ac si dicat Deus. Hactenus cum igne, cum fame, cum bello, cum elementorum omnium in vos conspirantium furore, & similibus

 plagis

plagis luctati estis: velites illi fuêre, & quasi levioris armaturæ milites! nunc ventum est ad triarios, jā imminet pugna decretoria, nunc cum Deo tibi, non cum Dei creaturis, sine alicujus interventu, agendū est. *Præparare in occursū Dei tui.* Instar umbræ aut picturæ sunt pænæ hucusq; recensitæ, si cum pænis tibi in occursu Dei inferendis comparentur. Ab enervi & imbecilli creaturæ brachio molles tantum ictus accepisti: in occursu Dei tui Judicis, vulnera senties à gigantea, ab omnipotente illata manu. Dominus Deus exercituum nomen illi. Præparare ô miser in occursum Dei tui. Modò, quali, quatoque, & quam formidando cum apparatu & gloriæ pompa ventur⁹ sit, erit stupor audire, horror cogitare. Certum est ad majorem formidinē incutiendam reprobis, ignem, Judicis adventum antecessurum. Quod ex regio Vate est nimis quā exploratum.

tum. (a) *Ignis ante ipsũ præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Et eodem Psal. *Ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus, tempestas valida.* Sublimiori adhuc cothurno ambulans tragicus Orator Isaias, exaggeratâ quadam eloquentiâ eundem hunc, de quo agimus, terribilem apparatum Judicis describit. (b) *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorẽ suũ, & increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio suo ad omnẽ carnẽ.* Quis nó horreat, audiẽs flammeas quadrigas, ignea carpẽta, fulminatrices rotas, atrã caliginem, procellosos turbines, validã tempestatẽ, & id genus alia tristia Justitiæ instrumentâ? Ex quibus verbis, aliisque similibus, hic rerum gerendarum ordo elici potest. Cùm primùm Angeli cum crucis coruscãte vexillo,

(a) *Psal. 96. 3. & 4.* (b) *Cap. 66. 15.*

aliisque insignibus perpesṡionum Christi apparuerint, ignem è cælo ubique fulgurante ruiturum, eumq; latè in omnes terræ fines, hominibus desertos, devolaturum; & omnia circumquaque opera hominum, si qua prioribus cladibus superfuerint, infestum devoraturum, tanto ardore, ut montes ipsi instar ceræ liquescant. Interim Judicium magna celeritate fiet, dum ignis properādo aut provolando potius eò perveniet, ut in circuitu Judicis, inimicos inflammet; Et cùm primùm ejus decreto, æternis ignibus addicti fuerint, eos flamma circumvoluta corripiat, tellusque horrendum dehiscens, excipiat in ima terræ viscera, ipsumque Tartarum præcipiti casu proruentes, cum flammis quæ stagnum efficient ignis, & sulphuris tot corporum mergendorum & cruciandorum capax. Cæterum Evangelistæ majestatem, qua Judex Deus è cælo

veniet

veniet ita describunt, ut cogitare possimus tanquam ante ambulones Angelos, Archangelos, & Potestates, & Principatus, omnesque cælestium Virtutum choros, armis Divinæ Justitiæ consentaneis accinctos. Hos præibit Archangelus Michael districto fulgurante gladio, tanquã summi Regis armiger. Cœlestem hanc cohortem severo vultu Apostoli consequentur, non jam martyrii quo quisq; interfectus est insignibus ostentatis, sed judiciariâ potestate. (a) *Et gladii ancipites in manibus eorum ad faciendã vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Ponè sequetur B. Virgo non Matris misericordiæ, & peccatorum refugii prænotata titulo, sed severitatis in eosdem demonstratione formidabilis. Vestis illius purpurea, indicabit columbæ sine felle olim nobis notam mansuetudinem, eo die in sangui-

 neam

(a) *Psal.* 14.99.

neam leenæ feritatem, contra peccatores convertendam. Hæc secum reputans Malachias, intuitus comitatum igneum, & feralem Divini Judicis, sudoris anheli vi magna, & capillorum sese arrigentium tremore cōcussus, clausit oculos, ne illorum faceret jacturam, faciemque alio avertit. Atque ne quis tanti timoris caussam miretur, ait: (a) *Quis stabit ad videndum eum. &c. Ipse enim quasi ignis conflans.* Quasi dicat: Quidquid vidi, ignis erat, flamma, incendium. Imò verò metus, qui ab illa flamma, tempestate, & metuenda Judicis majestate incutietur, tantus erit, ut Isaias dicat. (b) *Ingredientur* (nimirum impii) *in scissuras petrarum, & cavernas saxorum, & in voragines terræ, à facie formidinis Domini, & à gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram.* Quis non obstupescat, juxta ac horreat, dum audit de hoc Judice loquentem Job?

(a) *Mal.3.* (b) *Isa.2.*

(a) *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus* ? Quid sibi vult hoc Jobi votum ? Solenne est omnibus, qui in extremo versantur discrimine vitæ, ut ad securum confugiant locum, convolent ad asylum, ubi amicorum tutela protegãtur. Sed quæ securitas sperari potest in ipsa Divinæ Justitiæ ferali officina, in malorum omnium, quæ ab homine timeri possunt, domicilio, in illo ergastulo, ubi Deus omnis furoris sui indignantis effundit habenas? in illo loco, ubi nulli sunt nisi capitales Dei inimici, Animaram tortores, corporum tyrãni, uno verbo, in inferno? Infernus est miseriarum omnium receptaculum, non miserorum refugium. Quomodo illũ protegent juratissimi ipsius hostes, qui eũ tot calamitatibus hic in terris involverunt, facultatib⁹ exuerũt, fortunis

(a) *Iob.13.14.*

tunis ſpoliarunt, ulcere peſſimo per totum corpus percuſſerunt, Dæmones inquam? Solent illi homines non ſervare, ſed perdere, non protegere, ſed interficere. Tamen Job cùm non neſciret, quàm foret res plena immenſi cujuſdam horroris, intueri vultum irati Judicis, & coram ejus tribunali præſentem ſe ſiſtere, mitius illi videbatur vel in ipſó horribilium omniũ horribiliſſimo loco, Inferno commorari, ibique inter truculentos Animarum carnifices cacodæmones verſari, & ab iis cruciari, quàm Deum Judicem, ex arcuata nube in impios fulminantem contemplari.

OBSERVATIO MORALIS.

Quis noſtrum hoc timet? Forſitan intra triduum, infelix, coram horribili illius tribunali citaberis, quo condemnatus ad Inferos detruderis,

deris, perpetuis pœnis cruciandus! Morti tamen cùm ita vicinus sis, rides, lascivis, gestis, in ipso æternitatis limine jocaris, in ipso prope naufragio cantas, in ipso unde dejiciendus es patibulo, tripudias. Nunquam iram Judicis animo volvis, nedum tibi eum propitium reddis. Sed quid versipellis ille satan, præstigiis te suis circumventum fascinat? Omni quippe ratione conatur hanc hominũ animis extremi Judicii memoriam penitus eradere. Quod insigni similitudine S. Antonius Patavinus (a) illustrat. Solent, inquit, bombices tãtoperè tonitru perhorrescere, ut ejus audito fragore statim emoriantur, & ipse glomus iis loco sepulchri sit. At qui bombyces alunt, quo eos ab interitu eripiant, sonitu quodam exiguo quotidie exitato eos ad majorem fragorem excipiendum assuefacere solent, ne cùm repente forsitan tonitrui

(a) *In Ser. quod.*

fragor

fragor insonuerit, confestim emoriantur: Eâdem planè industriâ, ne dicam versutiâ utitur & adversarius noster diabolus: quippe cùm probè norit nil magis ad peccata in animis suffocanda, & extinguenda conducere, quam sonitum, strepitum, tonitru, & fragorem Divini Judicii; omni ratione conatur ea ad mundi crepitacula, id est, ad exiguos & fractos vanitatis, inanis gloriæ, & ambitionis tinnitus assuefacere, ut postea rei adeò necessariæ memoria amissâ, etiāsi Divinorum Judiciorum fragorē ex concionatoris detonātis ore excipiant, parum, aut nil moveantur, vitamq; securè sine ulla prorsus formidine traducant: & sanè solent mundi hujus fragores & strepitus quibus nos diabolus assuefacit, aures nobis obtundere, ne Divinorum Judiciorū, quæ instar tonitruum reboant, sonitum, aut fragorem audire valeamus. Nos contra, non tan-

tantum Divini Judicii tonitrua è pulpito attẽtis excipiamus auribus, ſed & tacitis imprimamus mentibus, ſæpè in memoriam revocantes, quàm exacta, rigida non tantum de gravibus, ſed leviſsimis, non tantum de maximis, ſed de minimis reddenda ſit ratio delictis. Ita ut auſus fuerit dicere Iſidorus. *Ad diſtricti Judicis examen nec juſtitia juſti ſecura eſt.* Imò ut Abbas Agaton ait. *Si Deus nobis imputaret diſtractiones cordis, & negligentias, quas in orationibus noſtris & officio Divino incurrimus, ſalvi eſſe non poſſemus.* Non eſt quod nobis imponamus noſtrâ hic ſcientiâ, prudentiâ, & aſtutiâ: Quia coram Dei Tribunali nil poterunt, nec valebunt allegationes Advocatorum, nil ſophiſmata Logicorum, nil rationes Oratorum, nil Ariſtotelicæ argumenta ſubtilitatis.

CAPUT V.

Judicis è cœlo descendentis, & in throno considentis magnificus apparatus.

TAndem præmissâ horrificâ ignium, ac flammarum tempestate, Judex è cœlo, aperto veluti siparío, in scenam prodibit. Pompam universam quâ prodibit, S. Spiritus Scribæ Evangelistæ breviter quidẽ, sed nervosè sacro stylo expresserunt. Matthæus duobus locis. *Videbunt Filium hominis venientem*, &c. & (a) *Cùm venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.* (b) Marcus scribit venturum *cum virtute multa, & gloria.* (c) Lucas, *cum potestate magna & majestate.* Itaq; ut quæ per Evangelistas sparsa sunt variis locis, in unum coacervemus cumulum, con-

(a) *Matt.* 24.27. (b *Marc.* 13. 26. (c *Luc.* 12.7.

ſtat venturum primò in nubibus, ſecundò cum Angelis, tertiò cum virtute, quartò cum gloria, quintò cum majeſtate, & quidem multa, ac magna. Singula hæc modò pro noſtro modulo accuratè exponámus. Ordiamur à nubibus. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus.* Hic primò dubium occurrit, ſitne Chriſtus venturus in una tantum nube, an verò in pluribus? Ratio dubitandi ſuboritur ex verbis D. Lucæ disſimilibus à verbis Matthæi & Marci: nam Lucas dicit Chriſtum venturum *in nube*, reliqui verò Evangeliſtæ, *in nubibus.* Communior eſt opinio deſcenſurũ Chriſtũ in una nube, ſed quæ multis aliis nubibus erit circumfuſa, ad majorem gloriam oſtentandam. Rupertus exiſtimat fore nubes procelloſas, ignem, fulminaque jaculantes. *Non erunt*, ait, *nubes pluviis rorantes, terramq; refrigerantes,*

(a) *In Apoc. 5.*

tes, sed nubès tempestuosæ, ignem spirantes, fulmina jacientes. Verior erit hæc sententia, si dicamus ex parte superiori fulgidas & placidas nubes fore, ex inferiori verò procellosas ac turbulentas. Circuibunt ergò Dominum nubes tempestate plenæ, fulminibus, igneisque jaculis in impios vibrantibus. Alterum quod ad hujus apparatus magnificentiam valebit, erit Judicit thronus. Dixit enim ipsemet sessurum se in throno magnificentissimo, & qui ejus deceat majestatẽ. Sic enim interpretari possum[9] illud. (a) *Sedebit super sedem majestatis suæ.* & David: *Paravit in judicio thronum suum.* Erit quoque hic thronus aspectabilis, ex nubibus enim fabricatus erit, sed eo artificio ac magnificentia, quæ & Angelorum redoleat industriã singularem, & digna sit illo omnium electorum Principe, illo ipso die, quo supremus omnium gentium Judex sede-

(a) *Psal.* 9.5.

ſedebit, quo ſubditis omnibus ſpecimen dabit dignitatis ſuæ, quo ſuis olim contemptoribus illudere quodammodo, & inſultare volet, gloriæ, ac pulchritudinis ſuæ magnificentiâ Faceſſant omnia ſupremorum Judicum antiqua tribunalia, Prætorum, Conſulum, Proregum. Faceſſant omnia ſolia Regum, Pontificum, Imperatorum. Valeat ille quoque Salomonis thronus, ebore atq; auro renidens, tantaque arte conſtructus, ut verè de illo ſcriptum ſit. (a) *Non fuiſſe factum tale opus in univerſis regnis.* Sequitur jam in Matthæo: *Et omnes Angeli cum eo. Cùm autem venerit Filius hominis & omnes Angeli cum eo.* Quos intellexit D. Lucas cùm dixit, (b) *venturum cum poteſtate magna!* ſive ut habet Matthæus, *cum Virtute multa*: id eſt cum magnis Angelorum copiis. Hæ nimirum ſunt Angelicæ legiones,

(a) 3. *Reg.* 10. 18. (b) *Luc.* 21. 12.

nes, quas habebat in poteſtate, illo ipſo tempore, quo à militibus captus, vinctuſq; tenebatur; legiones innnumerabiles, ordine pulcherrimo, & corporum fulgore gratiſſimo incedentes. Itaque in die judicii ne unicus quidem Angelus manebit in cœlo, ſed omnes omninò cum eo deſcendent, eumque quaſi Deum & Dominum ſuum honoris cauſa, quaſi ephæbi comitabuntur. Unde Chryſoſtomus clarè fatetur, cœlum tunc evacuãdum, quia nullus erit in cœlo Sanctus, nullus quoque Angelus, neque etiam Chriſtus. Erit igitur in cœlo ſolus, qui cœlum, & terram implet, Deus. Prætereà eſt admodum probabile, Angelos omnes tunc aſſumpturos corpora, ex aëre condenſato, in iiſque ſplendidis glorioſè apparituros: alioquin enim hæc Chriſti Angelis ſtipati gloria & poteſtas, non poſſet videri ab impiis, &

reprobis, quorum tamen causa maximè exhibebitur. Cùm ergò innumerabilis sit Angelorum multitudo, tunc longè lateque supremas aëris regiones undique per multa millia milliarium usque ad ipsos cœlos replebunt & immensi exercitus speciem præbebunt. Valde quoque credibile est, dæmones etiam in corporibus assumptis, sed tetris, horridis, & terrificis apparituros, vel quia alio qui ab impiis videri non possent, vel quia pertinet ad Christi quà homo est & Judex, gloriam, & impiorum cõfusionem, ut videantur. Quam admirãdum igitur erit spectaculum, hic videre decies millies, centena millia, legionum Angelicarum aëris regione latissima sursum, deorsumque explicatura, nunc Judicis laudes canentium, tunc fortia facta Sanctorum, nunc improborum calamitati insultantium, juxta veterem

Divinæ ſapientiæ comminationem. Tunc implebitur illud, quod dixit Dominus Caiphæ, in Concilio Judæorum. (a) *Videbitis Filium hominis ſedentem à dextris Virtutis Dei.* Mirabile ſpectaculum, in ſublimi aëre videre corpore glorioſo, ſedentem in throno ſplendido; circumfuſum innumeris Angelorum legionibus, totum hæmiſphærium uſque ad cœlum occupantibus, ſtipatum ad dextrã immenſo beatorum hominum exercitu, qui omnes ſolis inſtar ſplendebunt. Infernè in terra ad ſiniſtram, infinitam multitudinem damnandorum humi proſtratam, gementem, ululantem, vociferantem, quæ ſuperficiem terræ longè lateque occupabit. Furentibus in eos dæmonibus, & omnem rabiem ſuam in illos evomentibus? Aderunt ergô illîc omnes creaturæ rationales. Nullus erit in toto cœlo, nullus in

a *Matt.* 26.

in tartaro , nullus in purgatorio, nullus in aliquo orbis angulo, ſed omnia loca toto illo temporis ſpatio, quo exercebitur Judicium , erunt planè vacua , áderuntque in valle Joſophat omnes Angeli , homines, dæmones. Hic ergò attolle oculos, ut ſpectes maximum qui unquam Chriſto exhibitus fuit, vel deinceps tota æternitate exhibebitur , cultum, honorẽ, reverentiam. Quàmprimum Chriſtus è cœlo per aëra delapſus venerit in conſpectum immenſi illius theatri , ac tam celebris conſeſſus: & jam in magnifico throno Judex vivorum, ac mortuorum ſederit, ſtatim omnes quotquot ibidem præſentes conſiſtent , tum in aëre ſublimes, tum in terra depreſſi, Angeli, homines, electi, reprobi, & dæmones ipſi prono vertice, flexis poplitibus , ſubmiſiſſima tum corporis, tum animi reverentia Chriſtum ut naturalem Dei Filium , ut

Regem Regum, ut supremum cœli, terræque Dominum venerabundi adorabunt; implebiturque illud magnificum Pauli de Christo effatum. (a) *Omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, tunc omnis lingua confitebitur, quoniam Dominus JESUS CHRISTUS in gloria est Dei Patris.* De communi hac omnium adoratione evidenter scribit David. (b) *Omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.* Deinde Paulus. (c) *Omnes stabimus ante tribunal Christi: scriptum est enim: Vivo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Ubi nunc es Pilate, emerge ex illa execranda reproborum colluvie, caputque huc attolle, oculos eleva: Tua ipsa hic usurpabo verba à te olim die Parasceve

(a) *Phil.* 2. (b) *Ps.* 85. (c) *Rom.* 14.

rasceve prolata. Tu in amplissimo Jerosolymæ foro, coram immensa Judæorum multitudine, cùm Christus staret vinctis manibus, redimito spinis vertice, vulneribus hiulcis plenus, toto corpore sanguinolentus, toto vultu lividus, clamabas coram omni populo. (a) *Ecce homo.* Huc, huc modò oculos converte. Ecce homo, Cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, Ecce homo, qui à Deo constitutus est Judex vivorum, ac mortuorum. Ecce homo, ô perfidi Judæi, quem furore rabidi petiistis in crucem agi: vociferantes, crucifige. Ecce homo, impii? quem postposuistis Barabbæ, dicentes; non hunc sed Barabbam. Habetis vobiscum jam homicidam, & latronem Barabbam, reum, Christum verò Judicem. Vos clamabatis, non habemus alium Regem nisi Cæsarem. Confugite jam ad vestrum Cæsarem,

(a) *Joan.* 19. 5.

adferat jam vobis opem. Non habebitis jam Christum qui vos det Regem, sed qui condemnet Judicē. Ecce quomodo jam sedet in magnifico solio, qui jacuit novem mensibus in matris utero; sedet jam in throno, qui olim jacuit in fœno. Sedet in monte gloriæ, qui prostratus jacuit sudans aqua & sanguine in monte Oliveti, monte angustiæ. Sedet in tribunali Justitiæ, qui toties stetit vinctus manibus coram tribunalibus injustitiæ. Sed quid hic verbis meis cruēto miseros Judæos, quos satis in die illo furoris punget Divina Justitia? Converto sermonem ad Catholicos, & quid ni ad te lector, quem de rei illius, de qua ago dignitate, & non tam cupio esse lectorem quàm judicem.

OBSERVATIO MORALIS.

Legisti quomodo in magnifico illo amphitheatro omnes & Angeli, & ho-

homines, & dœmones ſacro quodam horrore undique circumfuſi, præ gloria, & majeſtate Judicis, eum prono corpore ſint adoraturi. Tuum jam poſtulo judicium. Poſſetne quid non dicam fieri, ſed propè concipi indignius, quàm nos Chriſtianos, qui tam certâ, & indubitatâ fide credimus Chriſtum in arâ adſtare præſentem Judicem, quem credimus nos aliquando judicaturum; tanta tamen adſtare illic irreverentia, inverecundia, immodeſtia, quanta puderet adſtare coram viro aliquo honorato, in dignitate conſtituto? Totum templi ſpatium repletur cœleſtibus illis geniis, nec in Templo aër tot ſcatet atomis, quod abundat Angelis; rubet ara Divino Chriſti cruore, offertur æterno Patri pro mundi expiatione piacularis victima, occupatur arcano myſterio ſacer Myſta; nil hic agiturr niſi quod eſt cœleſte, Divinum, ſacroſan-

ſanctum. Et interim dum hæc peraguntur, ſtabit procax aliquis juvenis, qui intolerabili impudentia, lænocinabitur oculis, geſticulabitur manibus, fabulabitur linguâ, vegabitur per quævis nefanda animo, perinde ac ſi non à Presbytero res Divina ageretur in delubro, ſed ab hiſtrione comædia exhiberetur in theatro. O impiè! quomodo audes coram tuo Judice, coram quo flectetur aliquando omne genu, vel erectus ſtare, vel uno tantum genu flectere? Vides quomodo populus univerſus ad illa verba. (a) *Et Verbum caro factum eſt*, ſtatim incurvo corpore in terram ſeſe inclinat, quaſi tanti beneficii, quanti eſt Verbum pro nobis incanatum, pondere oppreſſus, ſtare amplius non posſint; & tu non tantum audis verba illa proferri, *Et Verbum caro factum eſt*, ſed & vides, & credis ipſum Verbum incarnatum, & pro tua ſalute

a *Joan.* 1.

incar-

incarnatum, illic præsens esse, & non majori honore prosequeris illic Filium Dei, quàm inane simulachrum Jovis, vel Mercurii. Et si ingrediatur crepitantibus calceis, & byssina togâ. nescio quæ sordidula pellex, tergum obvertes Filio Dei, totum corpus venerabundus obvertes mancipio fors diaboli. Quid dices, dum adstabis tuo Judici? Non credidisti hæc? Ergò fuisti perfidus? credidisti? ergò fuisti impius, & pro alterutro crimine condemnandus.

CAPUT VI.

Ante ultimum Tragœdiæ actum, prodeunt Varii reproborum actores.

PRoduximus improbos tanquam primorum scelerum reos ad magnum forum, ad celeberrima comitia, ad terrificum tribunal, ad latè

patens, & immensum illud theatrū, ad æternam ignominiam illudendos, ac detestandos. Jam superest ut illi omnium oculis objecti, coram in omnium luce & conspectu ab hominibus, Angelis, dœmonibus, Deo, coarguantur ac condemnentur, ut ita tandem veluti publico totius universi præconio, voce, & tabellis notentur, & sempiternæ infamiæ objiciantur. Postquam cœlum, terra, sol, sidera, elementa, muta omnia atque inanima impios redarguerint, & tota rerum universitas conspiranti voce clamaverit, quod olim in consilio suo Judæi contra Christum! (a) *Reus est mortis*: Surgent mox contra impios Catholicos, Gentiles, Ethnici, Turcæ, infideles omnes, quorum virtus major à sola natura, & imbecilli ejus lumine, quàm Christianorum cum natura eadem, à gratia, ejusque clarissima luce. Hic

(a) *Matth.* 27.

ergò

ergò cum impio Christiano gentilis. Tune Christianus? Ubi religio, ac sacrorum cultus? Is Christianus qui nec templa, nec aras, nec focos sacros, nec sacrificos, nec vestales ullas, neque divinos homines reveretur? Qui templa velut arces propugnat, impugnat, expugnat? arasque pro haris habet, neque amicus, aut inimicus est usque ad aras, sed & inter templũ, & altare fundit sanguinem, vel in ara est sævus? Christianus tu? Imò infideli deterior. Jurabas trecentos Joves ac Deos omnes passim, & quidquid in tartaro est dæmoniorum; juratus verò etiam Evangelii, & crucis attactu pejerabas. Cùm rebus adversis affligebaris, mox erumpebas in verba blasphemiæ, & incesto ore superos õnes persequebaris. Contra illos assurgũt Turcæ, de quib⁹ ita scribitur. (a) *Inter Mahumetistas nullus*

 tam

(a) *Nicol. Clem. l. 1. cap. 15.*

tam durus casus eis contingit, ut fracti impatientia redigantur in blasphemia; verùm quidquid evenerit, non stomachantur ut aurigæ & nautæ, sed illud habent in ore, laus Deo. Pergent illi in suis accusationibus. Sacerdotes ac sacrorum ministros, itemque viros religione Deo consecratos cõtemptui habuit, illorum famam petulantissimè traduxit, odio sectatus est, nomen fictis criminationibus, ac mendaciis obscuravit. Surget tunc Alexander Magnus qui Jaddo Sucania sacerdoti adgeniculatus; Attilus, qui Divi Leonis oratione cicuratus; Persæ prisci apud quos Magi in summo honore! Galli veteres qui Druydas suos maximè venerati, Romani Consules, quorum fasces Vestalibus occursantibus inclinati; sententiæ capitis (illis casu intervenientibus) revocatæ. Et hic Christianus, his adversa gerens omnia? Hiccine Christianus divitiarum,

rum, regnorumque helluo, cui uni (ut olim Pellæo Juveni) non sufficit orbis, quique obulo mundi ultimo per fas & nefas inhians, in Lazarum Epulone crudelior vixit? & hic se Christianum jactat? Surget contra illum Cratres, qui opes in mare mergere, quàm ab illis in vitia mergi maluit. Tu auro, & ostro in vestibus gravis, & si pretium specto non pileos, sed arces in vertice geris, quotidieque nova, ac novè ingeniosus in his nimis, stipes in cæteris, somnias. Surgent ergò viri non tantum Ninivitæ, sed & Romani, & Græci, & Persæ, & Tartari, & Turcæ & Indi, tota denique Barbaria contra impios Catholicos. Sed dum de Ethnicis sermonem instituto, ecce tibi assurgunt Catholici electi, & contra Catholicos in reproborum classe constitutos, debacchantur. Quales hic audiuntur innocentium contra nocẽtes

querelæ? Hinc apparent viduæ, pupilli, orphani, clientes, servi, ancillæ, afflicti, cæsi, trucidati, & luculentis affecti injuriis. Inde impii, heri, iniqui judices, crudeles exactores, tyranni, prædones, homicidæ, pyratæ, & id genus vultures, leones, harpiæ. Discutiuntur jam causæ, quæ à tot sæculis abditæ latuerunt: concutiunt Judicis tribunal lamenta viduarum, gemitus oppressorum, pauperũ lachrymæ, fletus orphanorum, vulnera occisorum, sanguis Martyrum. Illic modò è latebris in lucem prodeunt omnes iniquorum advocatorum strophæ, & technæ, quæstiones eorum, qui aliquando pro decem obolis in vincula conjecti sunt. Quibus pro aliquot terunciis dictus est dies; qui pro leviori verbo graviter percussi sunt in maxillam. Tunc Deum habebunt Patronum, quem hic videbantur habere adversarium; tunc poten-

tentes potentiorem se sustinebunt. Tunc redundentur dentes eorum, quibus calamitosos momorderunt; ungues quibus laceraverunt ; calces quibus percusserunt, rictus canini quibus insilierunt frēdentes, hirsuta capita, quibus terruerunt , & omnia cornua, quibus impulerunt, ventilaverunt & quasi comminuerunt. Post hos omnes tandem accedet sævissimus omnium accusator, qui per excellentiā vocatur accusator fratrum suorum, cacodæmon, multò acriùs quàm unquā Tulllius vel Clodium, vel Verrem vel Catilinam, vel Antonium accusabit. Hic teste D. Augustino præsto erit , & recitabit verba professionis nostræ, & objiciet nobis in faciem quidquid fecimus, & quidquid peccavimus, & quo loco, & quidquid facere debueramus. Audite hic ejus orationem omni jambo, & satyra acerbiorem, Augustini verbis contextam.

(a) *Æquissime Judex, inquiet, judica. Judicium & Justitia præparatio sedis tuæ. Judica meum esse, qui tuus esse noluit, meus est, mecum dānandus est, post renuntiationem, ut qui invasit pannos meos? Quid apud ipsum impudicitia faciebat, cui ipse renuntiaverat? Quid intemperantia? Quid avaritia? Quid ira? Quid superbia? Quid cætera mea? Postremo fugientem à me, confugientem ad te; postea, cum meis, quibus renuntiaverat apprehendi, invasorem detinui. In ipsa quodammodo mea possessione à me apprehensus est. Quid enim in circo faciebat, atq; ibi furias, lites, insanas voces, inanesq; victorias miscebat, cùm jam à se alienus sibimet videbatur? Quid in theatro faciebat renuntiator turpium voluptatum? Quid in amphitheatro, crudelitates sævas oculis suis intuendo? Hæc omnia mea post re-*

(a) *Orat. contra Judæos & Pagan. F.6.c.Psal.88.5.*

renuntiationem invaſit, meus eſſe voluit, & mea concupivit. Judica, judica æquiſſime, quia quem tu non dedignatus es tanto pretio liberare, ipſe mihi ſe poſtmodum voluit obligare. Non potes non ſententiam cõtra hos perfidos pronuntiare, eoſque mihi adjudicare. Meì enim ſemper fuerunt, & in omnibus voluntati meæ ſatifecerunt. Tui erant, quia tu eos creaveras ad imaginem, & ſimilitudinem tuam; perditos quoque proprio tuo ſanguine redemeras; ſed obedientiam, quam tibi debebant, excuſſerunt, & mihi per omnia paruerunt: mandata tua prævaricati ſunt, & mea ſemper obſervarunt: ſpiritu meo vixerunt; opera mea imitati ſunt, vias meas ambulaverunt. Vide itaque Æquiſſime, quantò potiùs jus meum in illos ſit, quàm tuum. Nihil illis dedi, nihil pollicitus ſum, corpus meum pro illis non pependit, & tamen meis præceptis per omnia, non tuis paruerunt. Si mandarem illis, ut jurarent, pejerarent, furarentur, occiderent,

derent, adulterium commiterent, & nomen tuum abnegarerent, omnia hæc animo promptissimo fecerunt; pro te autem, qui Deus, & Creator, & Redemptor eorum es, qui largitus illis eras opes, vitam, salutem, qui & gratiam illis offerebas, & gloriam promittebas, & qui super hæc omnia passus eras in cruce, ne minimum quidem pro his omnibus periculum adire voluerunt. Quoties tu ad ostia eorũ venisti ulcerosus, nudus, pauper, atq; famelicus; Illi tamen magis soliciti fuerunt, quomodo canes, & equos saturarent, quàm ut tibi stipem darent; magis quomodo ædium suarum parietes serico, & auro induerent, quàm ut te detritâ veste cooperirent. Justum igitur est, ut vel semel tantæ Majestatis tuæ injuriam, & contemptum ulciscaris. Hæc erit amarulenta illa dæmonum accusatio. Ea omnia dicta à me, dicentur olim, sed alio longè tono, in magno illo foro.

OB-

OBSERVATIO MORALIS.

Supereſt, ne nobis exprobretur à viris Ninivitis, quod pœnitentiam non egerimus, jam dum licet agamus, ne pœnitentiam nos non egiſſe, dum animam agemus, nos pœniteat. Uti contigiſſe fœneratori cuidã ſcribit Joañes Algrinus Epiſc. (a) & Cardinalis. Hunc quoties ſanum valentemque adhortatus eſt ſacerdos, ut ad certum, ac ſecurum ſe reciperet pœnitentiæ aſylum, ſemper cum faſtidientis quadã ſtomachi nauſea regesſit; huic negotio ſuum adhuc ſupereſſe tempus, nondum ſupremum ſibi illuxiſſe diem, neque ſolem in proximo minari occaſum ultimum, paulatim tamen adrepſit non ſuſpecta, lethalis ægritudo, aditumque ſtravit ſecuturæ morti. Jamque iterum monetur à Sacerdote æger, periculum ne contemnere velit, hoc ſaltem prehenſus rerum

(a) *Specul. Exempl. V. pœnitentia.*

rerum articulo, pœniteret ſcelerum, perque uſurpata Eccleſiæ Sacramenta laboraret pro impetranda Numinis gratiâ. Sed & ille cantilenam ſuam rurſus cantare, & conſuetum illud repetere cœpit, nondum omnes effluxiſſe horas, dieſque; amplexaturum ſe pœnitentiam, quo tempore opportunisſimum videbitur. Tandem cùm ſenſim & valetudo increſceret, & fata propius accederent, & fortius inſtaret ſacerdos, ſubitò ille magnis vocibus lamentabiliter inclamavit. *O pœnitentia ubi es? de cætero pœnitere non valeo, hoc judicante juſto Judice, quia facere pœnitentiam dum potui, nolui.* Ita infelicisſimus ſine reſipiſcentia, & teſtimonio dolentis animi ſuper peccatis, æternùm periit. Adeſte vos hic qui cùm pigro vultis, & non vultis, quando monemini de exacta conſcientiæ cultura; quorum tota voluntas ad reſipiſcendum eſt marci-

da,

da, enervis, elumbis. Mihi credite, naſcentur denique nova vobis deſideria, utinam non & fatua, quibus prior ſegnities veſtra plectatur. Clamabitis olim & vos; *O pœnitentia, ubi es?*

CAPUT VII.

Pronuntiatur fauſtiſſima in electos ſententia.

ANtequam proferamus in medium fortunatisſimam illam ſententiam, quà electi æterno præmio afficiētur, & coronâ gloriæ immarcesſibili redimentur, quæri hic posſet, cur prius ferenda ſit ſententia illa optatisſima in electos, quàm altera illa infauſtisſima in reprobos? Cur prius beati admittendi ſunt in Regnum, quàm impii detrudendi ad carcerem? Spectat hoc ad Divinam Juſtitiam manifeſtandam, ut cū mali viderint bonos coronatos,

non minùs de aliena gloria, quàm de ſua crucientur miſeria. Et hanc rationem adfert D. Bernardus. (a) *Prius benedicti vocabuntur in regnũ, quàm maledicti in caminum dejicientur ignis æterni: quò videlicet acrius doleant, videntes quid amiſerint.* Neque ſolum dolebunt mali cùm beatos viderint, ſed etiam cùm ab illis videbuntur. Irrideri ſe ab illis, quos antea irriſerant, iniquisſimè ferent; ſuam miſeriam videri ab illis, quib⁹ ipſi antea ſuam gloriam objiciebãt, ægerrimè ſuſtinebunt: eſſe ludibrio, quibus antea erant ſpectaculo, moleſtisſimè patientur. Ita tamen Divina Providentia diſponet, ut mali videant juſtos, & à juſtis videantur, quò acerbiùs crucientur. Sic enim Deus ad quemlibet Beatorum. (a) *Oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis.* Ut cùm peccatores ſenſerint ſuam miſeriam

(a) *Bern. in Pſ. 90.* (b) *In Pſal. 99.*

riam prodi, & Beatorum oculis ingeri, acriùs torqueantur. Itaque ex comparatione cum aliena gloria, dolor de propria miſeria incredibiliter augebitur. Sed modò ad Beatisſimam Beatis omnibus ſententiam, quia illi ad gloriam feſtinant, properemus. Singulorum cauſis accuratè examinatis, evictaque manifeſtè veritate Judex jo ad Matrem electorum omnium Reginam, deinde ad reliquos electos vultu jucundisſimo, & amabilis aſpectu converſus, in conſpectu reproborum ingenti dolore animi frementium, ſerena facie, ſuavisſimeq; blandiente eos alloquetur, eâ voce, quæ facilè ab omnibus circum populis exaudiatur. Poterit enim efficere, ut vocis ſuæ ſonus quouſque voluerit, pertingat, cùm tũbarum ſonos ad imum uſque tartarum, cœlumque empyreum produxerit. (a) Quod David ſignificaſſe

(a) *Pſal.* 67.34.

videtur; *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.* Sed priusquam verba illa expectatissima Judicis proferamus, hîc enucleandum, quo idiomate Christus sententiam tam in justos, quàm reprobos pronuntiabit, latino, an Græco, an Hebraico. Tradunt Doctores Theologi Syriacâ illum linguâ, quâ usus est, dum inter mortales ageret clarâ, sensibilique id voce prolaturum. Sic ergò Christus prius mente, quàm voce eos alloquetur. O electi, ego oculis misericordiæ, quam diu fui, vos aspexi, & charitate æterna dilexi, ego ex infinita mea bonitate segregavi vos à reprobis, & inter amicos, hæredes & fratres elegi. Propter vos, & vestram salutẽ descendi de cœlo, & incarnatus sum. Ut vos regnaretis mecum in cœlo, exulavi ego in mundo. Non mihi satis fuit vobis dedisse carnem in cibum, sanguinẽ in potum, animam in pretium, superest ut jam

jam tradam regnum meum in præmium. Eja igitur (a) *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Prôh Deus immortalis! quod incrementum gaudii in corda omnium electorum infundet illa tam amabilis, tam beata vox, omnibus divitiis ac thesauris , omnibus hujus vitæ molestiis, ærumnisq; comparanda. Vox quæ illis omnes cœli portas patefaciet ad triumphum. Triumphũ planè admirabilem tot amicorum Dei, tot hæredum nobilissimi regni, tot fortissimorum bellatorum , à quibus toties devictus est dæmon, calcatus mũdi fastus, edomita caro, contempta mors, & formidabiliores morte cruciatus. *Venite* de tenebris ad lucem, de servitute ad libertatem filiorum Dei, de bello ad pacem, de morte ad vitam, de exilio ad patriã, de carcere ad regnum , de agone ad triumphum, de mari ad portum,

(a) *Matth.* 25.

de Babylone ad Jerusalem, de mundo ad cœlum, de tempore ad æternitatem. Pathetice hoc verbum exaggerat S. Hyppolitus, Tract. de consummatione sæculi in fine, descendēdo ad singulos Sanctorum ordines. *Venite*, ait, *Prophetæ propter nomen meū expulsi. Venite Patriarchæ, qui ante adventum meum obtēperastis mihi, regnumque meum desiderastis. Venite Apostoli, mearum afflictionum participes. Venite Martyres qui confessi me coram tyrannis tormenta multa, atq; supplicia pertulistis. Venite Pontifices, qui purū mihi sacrificium die nocteque obtulistis. Venite Sancti, qui in montibus, speluncis, & cavernis terræ exercuistis vos, qui per continentiam, preces, & virginitatem servii stis nomini meo. Venite adolescentulæ, quæ thalamū meum exoptastis, nec præter me, sponsum aliū dilexistis. Venite qui charitatē meā servastis, sicut sum ego charitas. Venite socii pacis, ego enim sum ipse pax.* Sic ipse. *Venite benedicti.* Quantis læ-

titiis

incedent electi, dũ audient illa verba dulciora super mel, & favum. *Venite benedicti.* O vox verè gaudii & lætitiæ, vox victoriæ & triumphi. O finis omnis desiderii. O portus bonæ spei? Italiã, Italiam quondam clamabat Achates. At hi cœlum, cœlum clamant. *Venite*, ô lætitiam! *Benedicti*; ô sanctitatem? *Patris mei*; ô divinitatem! *Possidete*, ô securitatem! *Regnum*, ô majestatem! *Vobis paratum*; ô amorem! *Ab origine mundi.* O vetustatem! Quæ causa tantæ felicitatis? (a) *Esurivi enim & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus eram, & vestistis me; infirmus & in carcere eram, & visitastis me.* O remunerationem copiosissimam pro tam exiguo beneficio! ô beneficium immensum pro tam vili dono! ô donum inæstimabile pro tam modico obsequio! Tum demum electis admirantibus tantæ remunerationis magnitudinem, ac simul querentibus quomodo ea, quæ commemorata sunt præstiterint, respõdebit. *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis* Non est ergò contemnendus pauper, nec deserendus, ne in eo deseratur Christus. Comparentur ab aliis

(a) *Matth. 25.*

aliis agri, & prædia, ædificentur villæ, construantur urbes, ut inde annui reditus referantur; alii glorientur; alii manibus laborent, alii militent, alii navigent; alii aliis artibus indulgeant, ut pecuniam acquirant, Vis tu omnibus iis minùs fatigari, & plus acquirere? Opera exerce pietatis, & misericordiæ. Modicum est quo pauper indiget, immensum est quod largienti compēsatur. Hic mihi occurrit quod refertur de Cæsare, proposito nostro peropportunum. Causam dicebat apud Julium Cæsarem miles unus veteranus, & causâ premebatur. Itaque timens ne causâ caderet, quid egit? Reddidit Cæsarem memorem cujusdam beneficii, quod illi in extrema necessitate contulerat. Meministi, ait, Imperator, sub quadam arbore umbram non spargente, cùm velles residere ferventissimo sole, & esset asperrimus locus, quomodo ex commili-

militonibus unus, penulam ſuam ſubſtraverit? Memini, ait Cæſar, & quidem ſiti confectus, quia impeditus ire ad fontem proximum, non poteram, niſi commilito, homo fortis, & ſtrenuus aquam mihi in galea attuliſſet. Potes ergò (ait miles) ô Imperator agnoſcere illum hominem, aut illam galeam? Reſpondit Cæſar, non poſſe galeam ſe noſcere, hominem poſſe; & adjecit. Tu utique ille non es. Meritò, ait alter, me non agnoſcis Cæſar: nam cùm hoc factum eſt, integer eram. Poſtea ad Mundam in acie oculus mihi effoſſus eſt. Nec galeam iſtam ſi videres, agnoſceres: macherâ enim Hiſpanicâ diviſa eſt. Quæ cùm audiret Cæſar, mox vetuit illi exhiberi negotium, & agellos de quibus lis erat, militi ſuo donavit. Longè major quàm Cæſaris in hunc ſuum commilitonem, erit Chriſti in ſuos amicos, qui ei obſequium aliquod præ-

ſtite-

ſtiterunt, munificentia, & benignitas. Quandoquidem quidquid exhibetur officii pauperi, fiat pauperum patrono Chriſto, poterit quivis in pauperes officioſus, & clemens dicere Chriſto, quod miles ille Cæſari. Meminiſti ô Domine, quomodo, cùm ſub frigido Jove, ſæviente brumâ ſeminudus algeres, & tremulo corpore pulſares ad oſtium meum, te in ædes exceperim, & nudum cooperuerim? Meminiſti quomodo cum inedia exhauſtus, & fame pallidus fruſtum panis emendicares, ſic eſurienti menſam ſtraverim, ibique manducaveris? Oſtendet profectò ſe memorem eſſe, quando coram toto mundo tua miſericordiæ opera deprædicabit dicens; *Venite benedicti. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare,* &c.

OBSERVATIO MORALIS.

Omnium mentes anhelant, omnium aures expetunt percipere ex ore Judicis illa verba. *Venite benedicti.* Quid præſidii ad percipiendā illam vocem, *Venite*? Paucis ſuggerā. Jam vox Chriſti ſonat ad omnes omniū gentium homines. (a) *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ad quoſdam etiā clamat, quod olim ad Petrum, & Andream. (b) *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Jam etiam hac hora, hoc momento, Chriſtus clamat ad vos, *Venite ad me omnes.* Tu juris Doctor, veni ad me per ſemitam æquitatis, & juſtitiæ: tu Medice, veni ad me per opera Charitatis in ægros pauperes exhibita: tu Advocate, veni ad me per exercitia pietatis in viduas & orphanos expenſa: tu Paterfamilias,

(a) *Matt.* 11. (b) *Matt.* 4. 6.

veni

veni ad me per vitæ bonæ exempla domeſticis præſtita. Tu Nobilis, veni ad me per eleemoſynas in pauperes erogatas: tu Juvenis, veni ad me per caſtitatem corporis, & puritatem animi. Cur tam pauci audiunt verba Chriſti clamantis. *Venite ad me?* Quia mundus altiori tono clamat ex oppoſito. (a) *Venite, & fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter: Vino pretioſo, & unguentis nos impleamus.* Illa vox magis titillat aures, hinc clauſæ ſunt Chriſto clamanti; *Venite ad me.* Quiſquis ergò ambit audire; *Venite Benedicti* in die Juſtitiæ, audiat nunc vocem Chriſti: *Venite ad me omnes*, in die miſericordiæ. Pulchrum eſt quod refertur de S. Aproniano: (b) hic cũ adhuc gentilis eſſet, & S. Siſinium è carcere educeret ut Læodicio repræ-
ſen-

(a) *Sap.* 2. 6. (b) *Martyrolog. Rom.* 3. *Februar.*

ſentaret, vocemque è cœlo factam audiret. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi*, credens, baptizatus eſt, & poſtea in confeſſione Domini finem vitæ capitali ſententiâ accepit. Utinam & nos ſpe audiendæ illius vocis, Venite, convertamur à via lata, & ſpatioſa, ad arctam & anguſtam, ut hac via venientes poſt Chriſtum, audiamus à Chriſto: *Venite benedicti.*

CAPUT VIII.

Fulminatur decretoria in improbos ſententia.

NOn ſine ingenti horrore animi, ac membrorum omnium concuſſione, ac artuum trepidatione, accedo ad illam luctuoſiſſimam, & omni tragædia funeſtiorem Divinæ Juſtitiæ cataſtrophen, quam cum immenſo quodam totius univerſi ſtupo-

ſtupore, ac pavore in valle Joſaphat Judex exhibebit. Cùm jam ab æquiſſimo Judice, jucundiſſimâ voce prolata fuerit ad electos optatiſſima illa ſententia, qua una, mox perfruentur æterna gloria, frendentibus interim præ invidia, & livore, iracundia, & furore, deſperatione & mœrore impiis, illico Judex omnes iracundiæ, furoris, indignationis, & Juſtitiæ vires convocabit, ut eas exerat, & ſimul ac ſemel in perduelles ſibi inimicos, & capitales hoſtes effundat. Itaque Chriſtus ad reprobos humi jacentes, & præ metu in ſolo palpitantes, iratum ac plenum indignatione vultum convertet, qualem deſcribit Iſaias, qui ſibi videre videbatur venientem de longinquo Dominum ſcintillantibus oculis, & toto ore emicantibus flammis, horribiliorem quam ut ſuſtineri aut expectari poſſet, ſono vocis incitato, ac frementi, utpote qui

vindictam anhelet, & linguam ejus quasi flammam ignis, qui cuncta populetur, & voret. Pergit Propheta, & comparat spiritum sive halitum ex pectore ejus effusum torrenti vehementi, atque præcipiti, qui ad medium usque collum hominum intumuit, ideoque ad resistendum impotentes secum trahit ac perdit. Denique intentaturum, ait, hostibus suis horribile brachium ad inferendam plagam, quam jam pridem fuerat comminatus, & flammam devorantem, quam ore gestare videbatur, quæ turbinis instar, aut lapidosæ grandinis, inimicos suos humi allidet, atque prosternet. Itaque severa oratione primò illorum scelera, & ingratitudinē sic exprobrabit. O natio perversa, ô genimina viperarū, ô impia capita, quomodo omnium beneficiorum, totq; favorum quos in vos contuli immemores, in me tam ingrati, per-

fidi,

fidi, impii fuiſtis? (a) *Quid potui facere vobis, & non feci?* Propter vos, & propter veſtram ſalutem incarnatus, veſtram naturam indui, ut in ea vos perditos quærerem & ſervarem, famem & ſitim pertuli, ut vos cœleſti cibo, & potu reficerem: laboravi, & ſudavi, ut ab humeris veſtris moleſtum & grave peccatorum onus tollerem: proditus fui, ut ſalvarem, apprehenſus, ut liberarem, vinctus, ut ſolverem; flagellatus, ut flagella iræ Patris mei à vobis averterem. *Quid potui facere vobis, & non feci?* Spinis aculeatis coronatus fui, ut vos cœleſti gloria coronarem, vulneratus, ut ſanarem, ſanguinem fudi, ut lavarem; brachia in cruce expandi, ut amplecterer; manus aperui, ut benedicerem; mortuus fui ut vitam vobis conferrem; à mortuis denique reſurrexi, ut certum vobis reſurrectionis veſtræ pignus donarem. *Quid potui facere vobis,*

(a *Iſa.5.*

&

& non feci? Ingrati extitistis passioni meæ, tormenta mea contempsistis; Sacramenta sprevistis, sanguinem meum conculcastis. Tunc detonabit in illos terribilia illa verba Ezechielis: (a) *Nunc ergo finis super te & immittam furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas. Nunc de propinquo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in te &c. & scietis quia ego Dominus percutiens.* Et ne quid desit illis pœnitentiæ, doloris, indignationis, desperationis, extollet felicissimam quâ ipsi exciderunt, justorum sortem, & miserrimam, quam ipsi mox subibunt conditionem, verbis illis Isaiæ. (a) *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis: ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce servi mei laudabunt præ*

(a) *Ezech.* 7.1. (b) *Isa.* 95.

exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis. His dictis excitatus tanquam dormiens Dominus, tanquam potēs, (a) *crapulatus à vino* ut loquitur David, evomet totam suam rabiem, effundet omnes thesauros furoris sui, quos jam inde ab initio mundi per tot sæcula coacervavit, & sicut parturiens loquetur; vociferabitur & clamabit, pronuntians diremptoriā, ac fulminatricem sententiam, ad quàm tinnient ambæ aures omnium reproborum, (b) Hæc est illa vox quam ipse Job, qui licet adversus omnia adversa esset rupes, horrebat, dicens: *Super hoc expavit cor meum, & emotum est de loco suo, audiet auditionem in terrore vocis, & sonum de ore ejus procedentem; post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ, tonabit Deus in voce sua mirabiliter.* De hac voce loquitur David. (c) *Vox tonitrui in*

(a) *Ps. 77. 65.* (b) *Iob. 3.* (c) *Ps. 76.* ro-

rota. Hæc vox instar rotæ volvet reprobos de pœnis in pœnas, instar rotæ semper à furente vento agitatæ, & hoc in sæcula sæculorum. Erit vox ultima Christi, sed erit vox omni turbine violentior, omni tuba clarior, omni elegia tristior, omni rota concitatior, omni fulmine terribilior, omni tonitru formidabilior. Audite, & horrete. Sed quomodo poterit illa sententia ab homine mortali enuntiari, si ad solam ejus memoriam sanguis congeletur, & membra obrigescant? O cœli subsistite! ô terra concutere! ô mare expavesce! Hic detonet aer; hic stellæ de cælo cadant; hic rupes, petræ, saxa, diffringantur; hic herbæ, plantæ, & arbores exarescant: hic ululent animalia, hic rugiant leones, hic omnes creaturæ tristem, ac lugubrem sonum edant, ac miserorũ sorti ah nimis deplorandæ compatiantur. O vox mea tremula, in-

gredere, & resona per aulas Regum, per palatia Cæsarum, per consistoria Cardinalium, per parlamenta Præsidum, per curias Senatorum, per Academias Doctorum, per delubra Sacerdotum, per musæa Advocatorum, per tribunalia Judicum, per domos Mercatorum, per cubilia Conjugatorum, per officinas Opificum, ut ad sonitum hujus vocis, ipsis præ timore capilli erigantur, membra contremiscant, expallescant ora, exhorrescant animi. Sed ecce glomerat metuēdos gressus per flammeas nubes Dominus exercituum, leo rugit, quis non expavescet? Aperit os suum ut tonet, (a) *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Actum est, conclamatum, desperatum; quia sententia est immutabilis, decretum irrevocabile. *Discedite*, ô verbum amarum! *à me*, ô calamitas! *Maledicti*, ô infelicitas! *in ignem*, ô pœnam, *æternum!* ô du-

(a) *Matth.* 25.

ratio!

ratio! *Qui paratus est diabolo*, *& angelis ejus*. O horror! ô dolor! ô pudor! *Discedite*, ô infelix discessio; *Maledicti*, ô dira reprobatio! *in ignem!* ô dolorem! *æternum*, ô sæva punitio! *Qui paratus est*, ô præparatio ingrata! *Diabolo!* ô monstrum! *& angeli ejus*, ô incomparabilis afflictio! Singula verba sententiæ hujus immensi cujusdam doloris ac pœnæ augmentum complectuntur. Nos modò dum licet, singula expendamus, ne illa aliquando inviti audiamus. *Discedite*, pœnam damni continet; *Maledicti*, pœnam injuriarum; *In ignem*, pœnam sensus: *æternum*, pœnam desperationis. *Qui paratus est diabolo*, pœnam aspectus dæmonum. *Et angelis ejus*, pœnam pessimæ societatis. Singula fusius exponam, vos exposita accuratè expendite. *Discedite à me*, qui Deus vester sum, primum principium, & finis vester ultimus, *Dis-*

cedite ab amicitia mea, protectione, regno, cœlo, essentiæ meæ visione, & à perenni æternarum delitiarum fonte. *Discedite* à suavissimo sanctissimæ Matris meæ contubernio, ab omnibus electis, ab Angelorum Hierarchiis, ab Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus. Proh quantus est homini opulento dolor, qui plurimorum floret amicitia, si à Patriæ conspectu, à parentum complexu, ab amicorum consortio, à familiarium suavissimo contubernio, segregari, & patriam sedem cum exilio commutare cogatur. Audite quid de suo exilio scribat Æschines. (a) *Cùm in mentem venit non tantum amicorum, quos istic habeo, sed & cognatorum, & concionis, & colloquiorum, quæ ibi tecum & cum Philino habuimus, sanguis omnis in alium viscerum locum refluit.* Deus immortalis, si sanguis è venis in viscera illi refluxerit ob exilium à Patria, segregatio-

(a) *Epist.* 5.

gationem ab amicis: quis dolor erit impiis à Patria cœlesti, ad quam jus habebant ratione baptismatis, idque non ad breve tempus, sed in æternum proscribi; Ah quam multi ex iis, qui ad sinistram consistent, videbunt parentes, amicos, fratres, sorores, & sibi olim familiares à dextris Judicis stare, seque ab eorum amplexu in omnem æternitatem divelli. Quam multi ex illis, qui unius, ejusdemq; urbis unius domus, unius familiæ, unius professionis, quid dico? unius tecti consortes extiterunt, se ab invicem separari, uno ad dextram inter electos, altero ad sinistram inter reprobos manente, dolebunt! Separari ergo à conspectu Dei, est planè quæ timeri possunt terribilium omnium terribilissimum. Nam sicut ait Philosophus, *oppositorum eadem est disciplina*; cum in cœlo, teste Augustino, *visio est tota merces*, erit quoque in

Inferno privatio visionis, tota pœna; id est omnium pœnarum gravissima. Ingens igitur supplicium est illud, quod Judex in hac sententia damnatis infligit. *Discedite à me*, convertamus jam sermonem ad secundum supplicium, *Maledicti*. Ex illo momento tota æternitate, omni ex parte erunt maledicti: Maledicti in anima, maledicti in corpore, maledicti in memoria, maledicti in intellectu, maledicti in voluntate, maledicti in oculis, auribus, pedibus, manibus, odoratu, gustu, & tactu: maledicti super terram, maledicti in tempore, maledicti in æternitate. De Esau refertur, horrendum infremuit, & rugiit cùm à Jacobo fratre sibi esset erepta paterna benedictio. (a) *Auditis Esau sermonibus Patris, irrugiit clamore magno, & consternatus ait, Benedic etiam & mihi pater mi.* Qualem rugitum per totum aëra emittent reprobi, cùm vide-

videbunt ſe non tantum privari Patris ſui benedictione, ſed ab eodem æternùm maledici, idque pro tam abjectis reculis, pro momento voluptatis, pro puncto honoris, pro aura vanitatis, pro exiguo lucello, pro ſiliquis porcorum, Sequitur. *In ignem æternum.* In hoc, pœna ſenſus conſiſtit. Itaque ablegabit illos vivos in ignem, non ad momentaneam exuſtionem, ſed ad perpetuum cruciatum. Ignis enim ille ardebit ſed non conſumet; inflammabit, ſed non in cinerem convertet, cruciabit, ſed non occidet; immenſum dolorem adferet, ſed vitam non auferet; non emittet ſplendorem, ſed immittet horrorem; non effundet lucem, ſed caliginem; non lucidam flammam, ſed piceum fumum. Sed in immenſum auget pœnam ignis, unica illa quæ ſequitur vocula, *Æternum.* Hoc verbum erit verè fulmen quod attonabit aures, perſtrin-
 get

get mentes, tremefaciet corpus, totumque hominem inexplicabili dolore perturbabit. Refert Benevenius Medicus Florentinus quidam, quod ipse suismet hausit oculis. (a) Vidi ait duos homines, Patrem & filium, qui cùm subito fulmine è nubibus lapso afflati fuissent, eorum corpora reddita sunt adeò attonita, & stupida, ut septem diebus non potuerint comedere, bibere, nec se movere. Quod si illos ita attonuit commune fulmen, quod non poterat nisi corpus lædere, vel occidere, quid erit perstringi illo Judicis fulmine, quod & corpus, & animam mittet in gehennam ignis? Tandem colophon omnium pœnarum erit, infausta, tristis, horrida societas dæmonum. *Qui paratus est diabolo & Angelis ejus* Deus bone, quis horror, quis terror, quis metus erit perpetuò degere, ac conversari inter tam terribiles spirituum lar-

(a) *Cap. 15. de abditis.*

vas; aſpicere tam horrenda monſtra ante oculos ſemper obverſantia. Si magnum nobis terrorem incutit umbra defuncti alicujus apparens, ideoque formidamus nocturno illo in tenebrarum horrore ſepulchra, & cœmeteria pertranſire, aut cubiculum in quo defuncti alicujus cadaver jacet, ſine lumine ingredi, ne forſan à ſpiritu ejus terreamur, ſi verò contingat cadaver vel minimum ſe movere, congeletur præ metu ſanguis, vox faucibus hæreat, pili in vertice erigantur præ trepidatione: quis terror, quis tremor ille erit damnatis, cum undique in illa ſpiſſa horribilium tenebrarum caligine, qua involvuntur, innumera multitudine malignorum ſpirituum, larvarum turpiſſimarum, atque horribilium dæmonum, aſſumptis vel ex aere, vel ex illa orci caligine, vel aliunde corporibus, varias formas induentium, ac ſua mon-

monſtroſitate terrentium, circumdatos ſe eſſe conſpexerint! Pronunciata hâc infauſtisſima ſententiâ, ut videbunt miſeri ſpem omnem ſibi ereptam ullius vel minimi ſolatii, æternumque de ſua ſalute deſperatum; tunc ipſi horrendis ululatibus, ac boatu terribili cælum, terramque replebunt. Tunc ponent in cœlum os ſuum, & immanes blaſphemias in Deum evoment. Tunc maledicent diei, & horæ quâ nati ſunt, parentibus qui eos genuerunt, uberibus quæ eos lactaverunt, aëri quo ſpirarunt, terræ quam calcârunt, & videntes ſe tota æternitate fore miſeros, omni jam ſpe deſtituti, tanquam furentes leones irrugient horrendum, ut rabidi canes ululabunt, ut deſperati totos ſe dedent lachrymis, & lamentis, atq; oculis in cœlũ, terramque, & omnes mundi partes circumjectis, exclamabunt. O cæli nobiſcum plorate, & ſempiternos gemi-

gemitus nostros sociate! ô elementa! nostrarum miseriarum commiseratione tangimini! ô ignis comburе! ô aqua submerge! ô terra absorbe nos, ita ut prorsus enecemur, conteramur, atque in nihilum redigamur! ô montes, & colles cadite super nos, necem nobis inferte atque sub vestris ruinis æternum sepelite. Hæc omnia, & his infinities graviora venient super vos, nisi pœnitentiam egeritis.

OBSERVATIO MORALIS.

Utinam vos Judices dum jam è tribunali estis prolaturi in reos sententiam, vos Advocati, dum jam in foro dirimitis pupilli aut orphani litem, vos nobiles, dum ob minimam injuriam descenditis in arenam certaturi duello, vos juvenes dum noctu in cubilibus consensuri titillatione carnis, peccare decernitis, utinam tum mentibus vestris

occurrerent, auribus insonarent illa terrifica verba, *Discedite à me. Discedite*, ah dum cogito, exalbesco. *A me*, pallesco, *Maledicti*, horrent comæ. *In ignem æternum*, voce destituor. *Qui paratus est*, contremisco. *Diabolo*, palpitat cor. Et *Angelis ejus*, præ metu ac formidine emorior. Verè, (a) *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

CAPUT IX.

Utriusque sententiæ executio, & omnis temporis consummatio.

POst citationem cunctorum, & citatorum congregationem, post disceptationẽ accuratam, & discussionem exactam omnium meritorum, post prolatam sententiam juxta cujusque merita, jam unum tantum superest, ipsa utriusque sententiæ executio. Non enim existimandum est, quod in illa summi Regis curia fiat, sicut in quibusdam Con-

(a) *Hebr.* 10. 31.

Conciliorum, aut Principum curiis: in quibus aut veritas causæ non inquiritur, aut inquisita tacetur, aut sub pecuniæ acervo sepelitur, aut sẽtentia non profertur, aut saltem Judicibus auro corruptis, in tempus diuturnum differtur. Sed latâ sentẽtiâ statim fiet executio: nam cùm Judex sit omnipotens, sermo ejus efficax; non est qui ei vel se opponẽdo resistat, vel loquendo contradicat. Unde dicitur à Matthæo. Satim ut utramq; sententiam Judex pronuntiaverit. (a) *Et hi ibunt in supplicium*, &c. Sententia verò executioni mandabitur eo modo atq; ordine, quo fuerit pronuntiata, id est sicut prius dicet Christus ad electos, *Venite*, quã ad reprobos, *Discedite*, ita prius electi admittentur in gaudiũ Domini, quã reprobi rapiantur ad pœnas tartari. Ut impleatur Psalmographi, (b *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet*,

(a) *Mat.* 25. (b) *Ps.* 111. 10.

desiderium peccatorum peribit. Proh Deus immortalis, qualis erit illa pompa; quod spectaculum, quando tot cæli Principes, tot filii Dei cum Rege suo triumphantes per aera efferentur in curru aureo, in veste regia, in dotibus gloriosi corporis, in splendore mirabili, pulchritudine insatiabili, lætitia infinita. Quã decoræ manus, victrices palmas circumferentes, & laureas immortali viriditate rutilantes. Quam illustre caput cinctum corona mille carbunculis, & pyropis late fulgurante! Auribus autem quid potest jucundius accidere, illa harmonia, quæ ex novem choris musicorum cælestium efflorescet, canticum illud Apocalypticum læta voce integrantium; (a) *Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen.* Quibus homines vicissim respondebũt: *Redemisti*

(b) *Apoc.7.12.*

miſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terrām. Proh qualis hic aſcenſus! qui curſus! qui clamores! quæ colloquia! Quæ congratulationes! Quæ Angelorum, & hominum acclamationes! Qui virginum lætiſſimus aſpectus! Qui Vatum, & Patriarcharum intuitus! Qui ingreſſus! Qui cæleſtiū Spirituum plauſus! quam latè patēs civitas! Quæ beatæ ſedes! quæ ſecura & clara domicilia! quàm tranquilla poſſeſſio! quæ ſecretorum communicatio! quæ gratia nunquā peritura! quæ viſio! quæ voluptas! quæ gloria ſemper & in æternum, & in ſæculum ſæculi, & ultra permanſura! Hic erit lætiſſimæ, quam divina Miſericordia peraget, comediæ epilogus. Clamat jam Divina miſericordia, claudite cortinas, ſcena peracta mea eſt. Mox Divina Juſtitia

flammeo vultu terribilis,tragœdiæ suæ catastrophen peractura, accedet ad reprobos. Quando jam videbunt illi intrasse electos cœlum, clausam ejus januam, accurrentes dæmones, terram paulatim discedere; Proh quis tunc erit planctus, quis clamor, quis flebilis ululatus inter illos audietur: quàm miserabile spectaculum illud erit, cùm & pectora pugnis,& ora unguibus fœdantes incedent? laniabunt capillos, percutient fæmora, complodēt palmas,comprimient digitos, totis artubus contremiscent, omnibus membris trepidabunt: alii in terram proni corruent,alii horrore attoniti rigebunt; alii lymphatico pavore acti,huc illuc velut amētes discurrent,ora pallor,corda dolor,mētem stupor, membra tremor, languorq; occupabunt; atq; interea incessabilis immugiet gemitus, personabit planctus, obstrepet ejulantiū

nun-

nunquam mœstior auditus clamor. Ad hæc etiam justorum gloriam videntes, turbabuntur timore horribili, stupebunt, ac dicent: (a) *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce quomodo comparati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* At nos ubi decidimus? Quò perduxêre nos concupiscentiæ nostræ, delitiæ molles? lauta cõvivia? obscœnæ libidines, avaræ opes, blandi sopores, ignava otia, joci, risus, luxus, luxuria, voluptas? Illa ociissimè desiêre, & successit nũquã desitura calamitas, cur concepti fuimus? Aut cur conceptos non est abortsa mater, vel cur non statim natos abolevit mors? vel adultos oppressit valetudo, vel dispoliavit, & in servitutem captivos abduxit hostis? O quam brevi labore, quã mag-

(a) *Sap.* 5.

nam potuimus adipiſci beatitudinem? Et ecce pro quam modica voluptate in quam immenſas incidimus ærumnas. Hic iis miſerè lamentantibus, aderit repente ignis ille, qui mira celeritate mundo intulerat vaſtitatem, qui promoto uſque ad damnatam turbam incendio, in eam furibundus involabit, & undique circumplectetur, juxta illud. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Tum repentè terra latisſimo hiatu ad inferos uſque ſub pedibus eorum ſeſe aperiet, & disſiliet, ſive uno in loco, ſive, quod credibilius eſt, in pluribus; ſtatimque infelix hæc turba, flammis dæmonibuſque inſultantibus circumfuſa, præcipiti ruina devolvetur ſimul in tartarum cum iis ſordibus, quæ ex mundi deflagratione reliquæ erunt. Qui tum excitabuntur fragores? quam inſani tumultus? quam horrēdi clamores ex

(a, *Pſal.* 96. 3.

crepitantibus flammis, undique à disrupta multis in locis tellure, maximèque à confusa vociferatione pereuntium, qui cum dæmonibus confusi clamores edent, atque ululatus, quib⁹ tanquã ab ingenti tonitru cœlum ipsum, tellusque circumsonabũt. Porrò Divina virtute fiet, ut brevi tempore ad terminum perveniant: alioquin facilè quatuor, aut quinque horis opus esset, ut naturali pondere tantum spatium absolvant, quod putatur esse minimè mille leucarum. Simulatque ad terminum pervenerint, terra firmissimè se claudet, & in omnem æternitatem clausa manebit, ita ut nullus damnatorum posset unquam exire, vel ad supera emergere. Itaq; terra omnium reproborum colluvione devorata, totoque illo incendio, quod sola terrarum vastaverat, unam in faciem coibit, qualem ante istam discessionem ostentabat, & undique

portas æterni illius carceris obſerabit ſeris, vectibuſq; adamantinis, ne quando illi cœlum, ejuſq; lumen videre poſſint, aut portam aliquam patentem viderent, ſpem aliquam poſſent concipere libertatis, aut miſericordiæ, ſi fortè horrendi eorum clamores ad Beatorum uſque aures pertingere poſſe putarentur.

OBSERVATIO MORALIS.


Hic finis erit omnis temporis, & initium æternitatis, nunquam terminandæ. Ut nos igitur cum fine mundi, finem imponamus huic funeſtisſimo argumento, adfero hic quæ in concione de Judicii die aliquādo è pulpito dixit diſertisſimus ille juxta ac piisſimus Divini verbi in Hiſpania præco, Ludovicus Granatenſis: qui diſertis verbis aſſerebat, certisſimum ſignum eſſe reprobationis non commoveri ad virtutem, vel amoveri à peccato, ultimi judi-

judicii comemoratione. (a) *Si quis, ait, ad hæc ipsa quæ dicimus (nimirum de die Judicii) torpet ac languet, nihiloque magis afficitur, quàm si hæc omnia ad illum minimè pertinerent, vehementissimum hoc cæcitatis, obdurationis, & reprobationis argumentum est. Quod quidem vel ex eo, ait, perspici potest, quod modò dum hæc ipsa tractamus, religiosæ & piæ mentes, quæ nil morte dignum admiserunt, trepidant, stupent, pallent, obmutescunt: perditi verò homines, & omni scelere contaminati, quorum capitibus hæc tantorum malorum tempestas incumbit, non modò siccis oculis, sed lapideis etiam cordibus, hæc ipsa quæ dicimus, audiunt.* Sic ipse. Quid enim potest horribilius ab homine timeri, quid terribilius ab Angelo fingi, quàm excipere auribus illud formidabile tonitru: *Discedite à me maledicti.*

(a) *Con. 1. Dom. 2. Advent.*



Qui hic ſe querit, æternum perit.





PROOEMIUM DE INFERNO.

Homo vetus descendat cogitatione ad Inferos, ut inde novus ascendat perfectione ad superos.

Quod fuit olim inclyti in purpura Vatis seu voventis desiderium, seu monentis consilium, ut quibus est cupido ascendere ad Superos, ubi desinent vivere, (a) descendant in infernum viventes; *hoc ipsum & meum est votum, ut quotquot sunt per omnes omnium terarum regiones homines,* (b) descendant in infernum viventes, ne descendant morientes; *ut loquitur D. Bernardus. Descendant eò, dũ adhuc*

L 7

(a) *Psal.* 54. (b) *Orat. ad frat. de monte.*

adhuc sunt sine morbo incolumes, ne descẽdant, dum erunt sine vitâ exanimes. An forsan tibi arduum dices, quin & insitatum, descendere? An tibi excidit Evangelica illa parabola: (a) Homo quidam descendebat de Hierusalem in Jericho? *Illa parabola, de te est fabula, imò historia. Tu es homo ille. Non prius cœpisti vivere, quàm descendere. In ipso si nescis, conceptus matris utero, jam inde descendisti de Hierusalem in Jericho. In peccatis enim concepit te mater tua. Quid est autem peccatum, nisi quidam descensus, videlicet à summo bono, ad summum malum? Quoties peccatum committis, toties descendis. Nihil igitur tibi, si laborem spectes, est facilius; si usum, familiarius, quàm descendere. Non sapies quæ sunt supra terram, si frequenti cogitatione descendas infra terram.* (b) Qui descendit, ipse est qui & ascendit supra omnes cœlos.

Ob-

(a) *Luc.* 10.30. (b) *Ephes.* 4.9.

Observa ordinem ne descendas illic, ubi nullus est ordo. *Christus primò* descéndit ad inferos,*deinde* ascendit ad cœlos. (a) *Si nolis aberrare à via cœli, sequere eum, qui est via ad cœlũ. Si ambis ascensum ad Superos, prius descende ad inferos. Contemplare illic summi mali, summa mala, & nihil tibi proclivius erit quàm declinare à malo, & facere bonum. Illa enim expendendo, fugies scelera, & effugies scelerum supplicia. Pigebit peccare, pudebit peccasse, dum horrebis pœnas, quæ manent peccantes. Hæc, ut olim Lovanii Jurisconsultis consulerem, magisq; essent cœlestis quàm civilis juris periti, suggessi è suggestu; sed quia semel excepta auribus, facilè excidunt mentibus, volui quæ dixi olim ad eos è cathedra, omnibus exhibere spectanda in tenui tabula; non nescius altiùs inhærere sæpiùs lecta, quàm semel ab aliis audita, à me dicta. Itaque timor quem timebis, ea legendo* non

Job.10.22.

non erit ad mortem, sedad vitã. Nam juxta adagium, Qui pavet, cavet, *atque adeò sæpè quod nocet, docet. Tu igitur; ad ea quæ sunt scripta, animum attende & nullus dubita, magno nisu ad Superos contendes.*

LOCUS ET SOCIETAS.

INfernus est regio Mortis, regia Dæmonis, cujus porta est desperatio, aula carcer, tapetes tenebræ, mensæ vincula, cibus fames, potus sitis, horologiũ ululatus, lecti ignes, ordo chaos confusionis. Est tenebricosum ergastulum æternis undique seris, claustris, repagulis, catenisque obseratum; cui supernè iræ Dei imminet sigillum. Ad hoc subterraneum speiæum cogitando descẽderat mellifluus Doctor, qui ubi ea quæ geruntur, spectavit; quæ dicuntur, audi-

audivit; in hæc verba exclamavit. (a) *O regio dura, & gravis! regio extimescenda, regio fugienda, terra oblivionis, terra afflictionis, terra miseriarum, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat! locus letifer, in quo ignis ardens, ubi frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, horribiles dæmonum facies! Totus tremo, atq; horreo ad memoriam istius regionis, & concussa sunt omnia ossa mea.* Paucis ejusdem loci conditionem perstrinxit Hugo à S. Victore, dum ait, locum esse, (b) *ubi nulla spes boni, nullaq; desperatio mali:* ubi jurati Dei inimici omnibus quæ optare possunt bonis privãtur, omnib⁹ quæ timere possunt malis cruciãtur.

Quis illo loco erit miserorum Princeps? quis Dominus? Is qui à fœditate, & truculentia dicitur Draco;

(a) *Serm. de Region.* (b) *Lib. 4. de Ani. cap. 23.*

co; à verſutie, & calliditate Serpens: à nocendi deſiderio Leo rugiens: à magnitudine, & potẽtia Behemoth: ab ira magna Diabolus. Quos habebunt amicos? Ne quidem unum in tota rerum univerſitate, ſed ſinguli & damnati, & Beati, & Angeli, & dæmones, & homines, illos immenſo quodam odio proſequentur: erũt omnibus creaturis inviſi, exoſi, execrabiles, abominabiles, tanquam ipſa abominatio. Quos, qualeſve ſocios habebunt? Malitiâ improbos, ſpecie horrificos, conditione miſeros; rabie furioſos, malevolentiâ obſtinatos. Tu igitur ſi ſapis, imò ut ſapias, hæc loca, ubi nulli bono eſt locus, ſæpè cogitando adeas: abdas te ſub terra, & omnia tibi diſplicebunt, quæ ſunt ſupra terrã. Imitare illum in deſerto Aſcetam, de quo in vitis Patrũ traditur: (a) *Ego* (inquiebat ipſe) *ob peccata mea Inferno adjudicavi meipſum, dicoque: Eſto*

(a) *Lib. 7. cap. 44.* *cum*

cum illis, quibus dignus es: istis post modicum annumeraberis. Aspicio ibi stridentes dentibus, & salientes toto corpore, & trementes à capite usque ad pedes. Video & mare ignis bullientis, & circumfluentes & mugientes, ut putant aliqui, usque ad cœlos attingere fluctus ignis, & in tremendo illo mari innumerabiles homines dejectos, &c. O quàm vicinus es huic loco jam expresso! Notum est illud Philosophi: Navigantes tribus tantum digitis distare à morte. Non quantum distant navigantes à morte, tantum distant viventes à regione mortis. Avesne, ô peccator, scire quantũ distes ab inferno? tantũ, ut si hoc momento vivere desinas, altero momento in orco ardere incipias. Totus infernus cum toto suo tormentorum apparatu, non distat à te, nisi temporis puncto.

Si illuc timeas, cadendo descendere; hic caveas, superbiendo ascendere.

re. Primus descendit in tartarum, ille cœlestium spirituum primas, cùm diceret: (a) *Ascendam super altitudinem nubium.* Hinc memor Angelicæ cladis David, exclamat: (b) *Non veniat mihi pes superbiæ; & manus peccatoris non moveat me. Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, nec potuerunt stare.* (c) Quæ verba sic exponit D. Ambr. *Non sim superbus, ne peccem; non peccem ne movear; non movear, ne cadam: non cadam, ne expellar.* Et paulò post: *Nescit stare superbia; & si ceciderit, non novit resurgere.* Vis tibi proponi Luciferi æmulos? suis illos lineamentis ad vivum expressit D. Ambrosius: (d) *Ejusmodi sunt erigentes supercilia, inflato corde, elato pectore, cervice resupinâ, qui solum quidem vestigiis pedum perstringunt, toto autem se librant corpore, & in-*

(a) *Isa.* 14.12. (b) *Psal.* 35. (c) *In Ps.* 35. (d) *L. de Arca & Noe, c.* 16.

& inani suspendunt examine; in priora gressa procedunt, ad posteriora cervicem reclinantes, cœlum spectant, terram autem fastidiunt, tanquam cervicis dolore suffixi, ut eam inclinare non possint. Ecce Luciferi, in scholâ discipulos: in familiâ servos; in palæstra milites. Illa vox plena fastu, quam ex turgido spiritu eructabat, *Conscendam:* dicebat enim is: *In cœlum conscendam*; transfusa est ad omnes omnium sæculorum homines. Nullus est, qui non ambit conscendere. Est plebejus aliquis civis, qui videt Magistratum in excelsioribus subselliis considentem, mox ipse secum; In subsellia illa conscendam. Est pedarius quispiam, qui ambit dignitatem Judicis, & ille; In tribunal conscendam. Est aliquis qui vix à limine salutavit Jurisprudentiam, intelligit Cathedram vacare: In Cathedram conscendam. Nemo est, qui non arrogantiæ typo

inflatus, non crepat illud plenis buccis, cum Lucifero: *Conſcendã.* Hinc tam multi ad inferna deſcendunt. Toto ergò cœlo, à cœlo aberrant, qui, ut eò pertingant, aſcendere cõtendãt, ſi quæris, quomodò aſcendat quis in cœlum? dicam, Deſcendendo: contra verò aſcendendo, rectà deſcenditur ad infernum. Non opus eſt alio exemplo, quàm quod jam expoſuimus, Luciferi; qui cùm aſcendere vellet in cœlum, deſcendit ad orcum. Via ergò cœli, eſt per deſcenſum: viâ Inferni, per aſcenſum. Licet cœlum ſurſum ſit ſupra noſtrum caput: Infernus deorſùm, infra pedes; tamen, ut illuc attingas, neceſſe eſt te demittas, ſubjicias, verbo, deſcendas. Scriptum enim eſt: Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur: ſic humiliatus eſt ſuperbus Lucifer, exaltatus humilis Michaël.

TENE-

TENEBRÆ.

T*Enebræ & palpatio facta ſunt ſuper ſpeluncas uſque ad æternum.* (a) In tartarea illa ſpelunca, ac latebroſo & prærupto ſpecu, dicuntur (b) *tenebræ exteriores* eſſe, id eſt alterius generis quàm noſtræ hic tenebræ; nō enim ſunt aëris obſcuratio, ſed horridæ, ſulphureæ, fœtentes, caliginoſæ, craſſæ, denſæ; & quidem tantâ denſitate, ut veluti palpari poſſint, tanto horrore, ac pavore, ut palpitare faciant miſeros ex pavore. Quare anima primo momento, quo hanc aſpectabilem lucem deſerit, quaſi jam extremum vale dicens Soli, Lunæ, planetis, ſtellis, ſideribus omnibus, ſibi ipſi occinit illud Jobi, (c) *Vadam, & non revertar ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine, terram miſeriæ*

(a) *Iſa.* 32. (b) *Matt.* 22. (c) *Iob.* 10. 21.

miseriæ & tenebrarum. Dicitur *terra tenebrarum*: quia ibi tanquam in nativo solo obscuritas provenit, sicut dicitur terra auri, aut argenti, ubi res illæ proveniunt. Ex hoc tenebricoso antra, & fumoso vaporario, velut è tenebrarum pelago ad Ægyptios caligo & obscuritas exundavit. Hinc Sapiens Ægyptias tenebras vocat (a) *impotentem verè noctem, & ab infimis, & ab altissimis inferis supervenientem*: sicut voragines quædam eructantes sulphureas flammas, quod Vulcani os, inferni ostia, & fenestras vocamus. Hunc locum lethales, & immedicabiles umbræ occupant. Ibi obscura, & cæca mors, & caliginosus orcus sedem, atque regiam constitutam habent. Ibi per obscurissimam lucem & spissos tenebrarum globos horrifica spectra, tristia simulachra, ferales imagines mortis, & lethales manium umbræ obversantur ante dam-

(a) *Sap.* 17.

na-

natorum oculos. Nullus præterea ulla in re erit ordo, ſed incredibilis confuſio, quæ in ipſis damnatorum mentibus perturbatis potiſſimum cernitur: in tenebris enim maximis, omnia miſceri, confundi, perturbari neceſſe eſt. Aliud igitur in his tenebris exterioribus, & interioribus damnati non valebunt cogitare quàm de pœnis ſuis. Illic namq; dirigunt totum impetum cogitationis, ubi ſentiunt vim doloris: Quare refert Innocentius diſcipulum quendam apparuiſſe Magiſtro ſuo poſt mortem. (a) Quem cùm magiſter intellexiſſet eſſe damnatum, quæſivit ab eo, num aliquæ quæſtiones apud inferos moverentur. Reſpondit: *Apud inferos quæritur ſolummmodo, quid non ſit pœna.* Ut has tenebras evitetis, *ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ*

(a) *Lib. 3. de contem. mun. c. 7.*

bræ comprehendant. (a) De his tenebris loquitur S. Auguſt. *O quiſquis es flagitioſus, qui ſoles propter tua malefacta, & adulteria non ſolum tenebras non horrere, ſed quærere: qui ſoles plus gaudere quando lucerna extinguitur: non tales tenebras habebis, ubi gaudeas, ubi voluptatibus carnis oblecteris. Non ſic erunt tenebræ. Quomodo ergò erunt? Ibi erit fletus, & ſtridor dentium: tortor ſine defectu, tortus ſine defectu.* Ut haſce declinemus tenebras conſilio Pauli. (b) *Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.*

Nonnè hâc noſtrâ ætate, plurimos eſt reperire; qui, ſi verũ fateri velint, cogentur de ſe aſſerere, quod Judæi illi apud Iſaiam? (c) *Palpavimus ſicut cæci,* &c. Nonnè hoc plurimis convenit? *Palpavimus ſicut cæci, parietẽ.* Rectè: quia Chriſti Fide, Juſtitiâ, ac gratiâ ubiq; propagatâ, & longè, lateque coruſcante; quaſi cæci, eam

(a) *Joan. 12.* (b) *Ro. 13. 12.* (c) *Iſ. 59. 10.*

non vidimus ; & quaſi palpantes inceſſimus, (cæcus enim manum habet pro oculo ; unde priùs manu palpans, veſtigium explorat, quàm in eo greſſum figat) Dein addit: *In caliginoſis , quaſi mortui* , Leo Hebræus vertit: *In ſepulchris verſamur, quaſi cadavera* ; quaſi dicat, ſicut mortui degunt in tetris, putidis , & tenebroſis ſepulchris: Ita nos, noſtris flagitiis & ſpurcitiis dediti , in eis hæremus , jacemus, volutamur ; in ea impingimus, ruimus, labimur; ut nunquam nobis lux gratiæ , fulgor lætitiæ, ſplendor veri boni illuceſcat: ac ſi planè eſſemus mortui, exangues, exanimes. Quot ſunt in plurimis Regionibus, Athei ? in palatiis, aulici; in curiis, politici; in Academiis, ſcioli, qui norunt regere, Imperio populos, gubernare urbes, ferre leges: interim in reb⁹ arcanis fidei, in myſteriis Chriſti, negotiis cæli, ſunt

tanquam pueri elementarii; *palpant*, tanquam cœci, *parietem*; *impingunt meridie, quasi in tenebris*. In salutis negotio, fœda illis est caligo; in rebus Divinis, alta nox; in percipiendâ rerum æternarum veritate, Cimmeriæ tenebræ. Cœci & obscurati judicii perversitate, bonum malum, & malum bonum dicunt; contemnunt æstimanda, æstimant contemnenda: cœlestibus terrestria, æternis momentanea, spiritualibus carnalia, salutaribus noxia anteponunt: atque ita cæci, stulti, amentes, furiosi, perversi; ut illi apud Isaiam: *Palpant, sicunt cæci, parietem; impingunt meridie, quasi in tenebris*. Nihil illis prodest frequens concio; nec Dei inspiratio, nec amicorum monita, nec conscientiæ vermis; nec timor mortis; nec formido gehennæ: non terriculamenta, non lenimenta, nec minæ, nec blanditiæ: hi cæci, magnis passibus tendunt ut ad tumu-

lum,

lum, ita & ad tartarum. Ne his ego involvar tenebris, clamo ad te, ô Pater luminum! (a) *Deus meus illumina tenebras meas!* (b) *Faciem tuam illumina super servum tuum.* O lux cordis mei! quàm cæca, & supra Ægyptiacam caliginem, atrâ nocte circũseptus vivo, cùm mihi vultus tui lumen non affulget. Impingo undique; velut, qui in tenebris incedit: & nec vitanda, nec sequenda secerno; sed modò in hanc, modò in aliam peccati foveam prolabor, non sine præsenti periculo, ut in viâ tam lubricâ hujus mundi, tandem in præcipitium salutis meæ devolvar. Exorere O sol meus supra Horizontem cordis mei, & umbras omnes expelle, illuminare his, qui in tenebris, & umbrâ mortis sedent. Da mihi, O Amor meus! ô lux mea, ardere, & lucere! Amore ardeam; exemplo luceam; donec videam.

 (a) Te

(a) *Psal.* 17. 29. (b) *Psal.* 118. 135.

(a) *Te in splendoribus Sanctorum* : ubi Electi tui *fulgebunt, quasi splendor firmamenti*; (b) *& quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

FOETOR.

D*E cadaveribus eorum ascendit fœtor* : (c) Dixit id de Assyriis Isaias ; veriùs id asserueris de damnatis. Quot illic sunt corpora, tot sunt fœculenta cadavera, Stomachi eorũ pestilentibus humoribus gravati, & igne circumfuso bullientes, teterrimam perpetuò mephitim exhalabunt; nec tamen vicissitudo, vel epotandi sordida, vel exhalandi graveolentia unquam cessabit: Illa fœtida, & olida cadavera tanquam emplastra emplastris adhærebunt. Unde tam immanis, & pestilens erit ille fœtor (teste D. Bonaventura) (d) ut si unius tantùm hominis dam-

(a) *Ps.* 109. 3. (b) *Dan.* 12. 3. (c). *Isa.* 34. (d) *Dieta salut. c.* 39.

damnati corpus in hunc mundum adduceretur, omnes confestim domus, pagos, urbes, Provincias, omnes pisces, volucres, bestias, homines, totum hunc aërem, universum deniq; orbẽ, pestiferâ lue inficeret, & quidquid spirat, interficeret. Quid facient ergò infinita propè damnatorum cadavera, à tot annorum millibus igne tartareo tosta? Qualis erit ille odor qui ascendet ex sulphureis ignium globis, è tetris exhalationibus, & execrandis putoribus; ex obscœnissimo illo volutabro, ex graveolenti vomicâ, ac colluvie; ubi monstra illa verminosa in stercoribus suis volutantur, & veluti computrescunt? Augebitur in immensum fœtor ille ex igne sulphureo, qui crasso, & tetro fumo totam illam cavernam replebit. Solus ille inferni fœtor satis sit damnatis ad moriendum, nisi divino miraculo ad pœnæ æternitatem mori prohiberentur.

Abominabatur Martha cadaver fratris Lazari, quod quatriduo in sepulchro jacuerat, adeò ut vix fœtorem naribus sustineret; ut patet ex illis ejus verbis (a) *Domine quatriduanus est & jam fœtet.* Quis igitur horror erit videre, tangere, & olfacere putrescentia illa cadavera, quæ in tartarorum barathro jam inde à quatuor, aut quinque annorum millibus sepulta jacuêre? sed rem hanc historiâ confirmemus. Quod dico, sumpsi ex vitis SS. Patrum (b) Duo erant viri sanguinis claritate illustres, qui cùm ad Ædem sacram sese conferrent, fortè audiebant de horribilibus Inferorum suppliciis differentem è pulpito sacrum Ecclesiasten; qui tartarorum cruciatus, summa vi eloquentiæ, ac dicendi ubertatê mirificè exaggerabat, & patheticè exprimebat. Aperiebat illis illam profundissimã inexplicabilium miseriarum voroginem; in qui-

(a) *Joa.* 11. (b) *Busto T.* 2. 559.

bus Divinæ Majeſtatis perduelles
ſupplicio æterno mactantur : pro-
ponebat varia, quibus ſontes in E-
rebo crucientur tormentorum ge-
nera : oſtendebat locum illum eſſe
omnium acerbitatum officinã, oli-
dam mephitim, duticulos halantes,
cloacam mundi, ſordium omnium
fæcem, & colluviem ; & alia com-
plura nata metum incutere, & hor-
rore perfundere. Illorum unus, cùm
hæc veritate majora cenſeret; & ma-
gis ad pompam, quàm ad veri nor-
mam, dicta indicaret, dicentis ver-
ba ridendo exploſit; & ſacrum illum
Oratorem, ut hyperbolicum Rhe-
torem contempſit : Alter contra,
quæ de orco dicta audiverat, tanquã
ſibi, ut reſipiſceret aliquando even-
tura, metuens, immodicè timuit,
& oppidò conſternatus ; ſpretis, &
mundi illecebris, & corporis leno-
ciniis, Religioſæ vitæ amplexatus

 eſt

eſt inſtitutum, ut evaderet Animæ interitum. Inter hæc tam diſparia vitæ inſtituta, alter ille, Divini verbi contemptor, poſt morbum diuturnũ, devolutus eſt ad diem extremum: Cùm jam conclamatum eſſet de ejus vitâ; acceſsit alter amicus, quem & obteſtatus eſt, ut ei à morte appareret; & quis eſſet alterius mundi ſtatus, edoceret. Itaque vitâ jam defunctus, nocte quâdam videndum ſe illi exhibuit. Et cùm alter, quo loco eſſet, quove in ſtatu verſaretur, quæreret: Reſpondit alter, malè ſecum agi; jam ſe æeernis pœnis addictum. Cui Monachus; ſunt ne, ait, tam horribiles in orco cruciatus, ut Divini verbi Præcones è ſuggeſtu annuntiant? Tunc damnatus; O frater, ait, nec omnes omnium hominum linguæ vel numerare poſſunt pœnarum multitudinem, vel explicare magnitudinem. Non poſſum, inquid Monachus, experi-

peri-

perientiâ, quantæ ſint pœnæ, cognoſcere; planæ inquit alter: Quo pacto placet pœnas experiri, videndo, tangendo, aut guſtando? Repoſuit Monachus: Nolo videre, quia ſum naturâ meticuloſus, & videndo terribilia, animus me deficeret. Nolo etiam tangere, quia tactu ſum admodum delicatus: Nolo guſtare, quia habeo debilem ſtomachum; ſed fac, ut odoratu aliquid percipiam. Tunc alter explicuit, quo erat involutus, pallium: & ecce repentè erupit indè tanta putredo, tã intollerabilis putor, tàm incredibilis fœtor, tàm abominabilis, & peſtilens odor; ut omnes illius Ordinis Monachi, velut amẽtes, phrenetici, ac planè mentis impotes hinc indè vagando diſcurrerent, clamãdo vociferarentur, velut inſani; neceſſeq; illis fuerit, ex illo Monaſterio migrare ad locum indè longiſſimè diſ-

ſitum, ne fœtore infecti, extinguerentur. Si unum unius damnati corpus talem mephitim ediderit: quid erit illic eſſe inter trigeſies mille milliones corporum damnatorũ?

Quid illic ages delicatule? Ubi tunc peregrini muris olentes pelliculæ? ubinã floſculi toties narib⁹ admoti? ubi aromata, ubi balſama? ubi tranſmarina ſuffimenta? (a) *Erit pro ſuavi odore fœtor.* Vel ut Vatablus vertit, (b) *Erit pro muſco tabes.* Quid agetis, ſi contingat vos in hanc ardentem conjici fornacem, pice bullientem, ſulphure fœtentem, tenebris horridam, fumo vaporantem? In illo ſterili ſolo non erunt horti, non tempe, non viridaria, ubi violas & roſas, ubi lilia & narciſſos, quos naribus admoveatis, invenietis: Ne vos, ut hœdos illos tartareos infeſtet æternus fœtor, eſtote hîc (c) *Chriſti bonus odor.* FLE-

(a) *Iſa.* 3. (b) 2. *Corint.* 1. 15. (c). 2. *Cor.* 2.

FLETUS.

V*Æ vobis qui ridetis, quia lugebitis, & flebitis.* (a) Asserit D.Bonaventura damnatorum fletum fore tam copiosum, ut si singulorum damnatorum asservarentur lachrymæ, tantum olim ex iis confici lachrymarum posset, quantum est aquarum in toto, quantus patet, Oceano. Nihil sanè prout res habet, dicit S.Bonaventura: adde proinde tu vasto Oceano tot lachrymas, quot aquarum guttas, non modò Rhenus, vel Scaldis, sed & cætera totius orbis flumina, nõ modò uno die, sed omnib⁹ retrò sæculis in mare exonerarunt: quot guttæ pluviæ ab orbe condito in terram defluxerunt; adde porrò tantùm insuper lachrymarum, quantum fuit in abysso illa immensa, primâ mundi luce à Deo conditâ: adde, si ita vis, decuplo, centuplo, imò & millecu-

(a) *Luc.6.*

plo, denique quantum voles plura; nil hæc omnia ad immanem illum quem damnatus quilibet effundet fletum. Illa ſiquidem omnia finita ſunt, hic fletus eſt futurus infinitus. B. Macharius dicit in inferno lachrymas forè igneas, quæ comburant corpora. Edent præterea horrendos ejulatus, gemitus, clamores, inconditos ſtrepitus ſonorum, qui in maxima illa caverna tonitruorum inſtar latè remugient. Illic collachrymantibus oculis, adgemiſcente pectore, ductis ex corde ſuſpiriis, evocato ex pulmonibus lamentabili clamore, & miſerabili ejulatione, infinities verba illa ingeminabunt: (a) *Ergò erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis?* Accipite flebiles damnatorum elegias & funebres nænias ex S. Ephrem: [b] *Tunc amariſſimè illachrymantes, ejulanteſque dicunt:*

[a] *Sap.5.6.* (b) *Trac.de Abre.*

cunt: O quo pacto in negligentia, atque torpore tempus nostrum transegimus! ô quomodo illusi sumus? quomodo Divinam Scripturam audientes, irridentesq; nos ipsos irrisimus! Ibi Deus loquebatur nobis per Scripturas, & non attendebamus: hic jam nos clamamus, & ipse suam à nobis faciem avertit. Quid nobis proderunt fines mundi? Ubinam qui nos genuit Pater? Ubi quæ nos peperit mater? Ubi filii? Ubi amici? Ubi divitiæ? Ubi substantiæ, atque possessiones? Ubi turba? Ubi convivia? Ubi varii, & intempestivi cursus? Ubi Reges atq; potentes? Quomodo à nullo illorum salvari modò possumus, neq; verò nobis opem adferre? At penitus derelicti sumus, & à Deo & à Sancto ejus. Hæc erunt quæ pangent miseri carmina. Quanta dementia, non prævenire fletibus fletum: in valle lachrymarũ effusè ridere, & quidem amissâ Dei

gratiâ, ac jure ad cœlestem gloriam? Et hoc est quod S. Thomam adeò præ aliis omnibus capere se nō identidem dicere solitum ferunt: quî videlicet fieri posset, ut qui se peccati lethalis reum sciret, læto, atque hilari unquam animo esse posset: utpote qui se tantis fletibus, atque mœroribus obnoxium esse intelligeret.

Sed quid miramur, miratum fuisse D. Thomam? cùm plurimi sic vitam instituant, ac si damnatorum supplicia, essent vigilantium somnia, aut anicularum deliria? Hinc nisi viderint aliquem ab orco reducem: vel legant epistolam aliquam ab inferis scriptam; & pœnarum illarum indicem, non credunt. Itaque, ne quid ad hujus articuli veritatem confirmandam deesset; permisit subindè Deus, etiam à damnatis, damnatorum pœnas, scriptis inde literis confirmari. (a) Cùm e-

(a) *Garcias. T. 2. 452. Conci. Evang.*

nim vir quidam profligatissimus, ab uxore suâ blandè corriperetur, & officiosè admoneretur, ut ad frugē rediret, è cæno emergeret, ne, ut Divini è Cathedrâ verbi præco minabatur, æternas flammas incurreret; Maritus ad hæc uxoris verba: Abi, ait, stulta, tu credis seriò hæc à Concionatoribus dici? Comminiscuntur hæc & fingunt, & Inferorum cruciatus exaggerant, ut panico timore homines deterreant, & in officio contineant: quia si Infernus sit, nec ne, Deus scit: His dictis, repentinâ morte correptus, teterrimum fumum emittere cœpit: exilit lecto mulier, vocantur ancillæ, afferuntur lumina; & ecce truncum jacens cadaver, in carbonem fumigantem conversum, invenitur, has literas carbone Inferni descriptas in manu tenens: *Jam certus factus sum, quod sit infernus.* Ita nimirum, qui Evangelio non credunt, hâc ratio-

ne erudiuntur; misso scilicet igne de cœlo, ut ait Jeremias : (a) *Misit ignem in ossibus meis; & erudivit me.* Nullus opportunior, qui nos erudiat, & doceat timorem Domini, Magister, quàm hic ignis, mente, & crebrâ cogitatione expensus, & ante oculos propositus. Hoc ultimũ est, quod cœlestis ille Medicus, ad salutem jam propè depositam conservandam, adhibet remedium. Sicut cùm tumor ulcerosus in corpore fit; & blanda pharmaca non prosunt, ferrum adhibetur candens, & adurens: sic Deus, postquam pietatis remedia, postquam lachrymarum suarum antidota, postquam sanguinis sui adhibuit pharmaca; nec illa prosunt, ferrum, & flammas adferri mandat. Quod ne nobis accidat; hîc oculos fidei amplissimè aperiamus, quæ Deus minatur supplicia, identidem contemplemur: ne oculos, quos hîc clausit culpa; posteà aperiat pœna. (a) *Tre*, 1.

FA-

FAMES.

F*Amẽ patientur ut canes.* (a) Sicut canes præ famis magnitudine occupantur circa ſordes, cadavera, fimum, fimeta, & quæcunqe ob graveolentiam, & corruptionem, aut inutilitatem ejiciuntur extra civitatem; ſic impii ut canes famelici ſeipſos mordebunt, & conſumere vorando contendent. Innuit hic Iſaias: *Erit populus quaſi eſca ignis*: (b) *Vir fratri ſuo non parcet, unuſquiſque carnem brachii ſui vorabit.* Quis neſcit fame ſtimulante homines fœdisſima quæque comedere, feles, mures, rancidos canes, quin & propria membra, ac etiam liberos? Nec deerunt fœda, & amara æternùm eſurientibus fercula. Nam in primis lingua & palatum damnatorum humore aliquo ſemper imbuen-

(a) *Pſalm.* 58. (b) *Iſa.* 9.

buentur, ſed tam amaro, ut neque fuligo, neque fel, neq; abſynthium, illi æquari ullo modo poſſint. Sed nulla major ſitis, faméſque eſt præ illa, quam damnatus quilibet avidisſimè deſiderat, Deo frui, ejuſque cœleſti menſa, nunquam ſaturandus. Iſta porrò animæ ad Agni nuptias, ad cœnam illam magnam aviditas, non niſi canis ſagacis impetu, & celeritate indagando poteſt explicari; qui dum fame ſtimulatur, ſi ſemel catenâ colligatus eſt, & hora cœnæ, aut prandii imminet, atque acutisſimo olfactu cibos per nidorem odoratus eſt, videas brutum animal, ire, redire, mordere catenam; huc, illuc ferri, horrendum ululare, & quaſi catenâ ſolutus ſit, iterum atque iterum ad odorem pergere, ſic ut nec voce, nec minis, nec virgâ, nec catenâ queat vis ejus appetitiva cohiberi. Scitis miſerum illum deſtitutum veſte nuptiali, è domo convivii,

vivii, ligatis manibus, ac pedibus fuisse ejectum in tenebras exteriores. En canem ligatum. O anima! quæ in tenebrosâ illa spelunca semel alligata ultimum tuum finem subodorata es, quid si in aula æterni illius convivii epulas olfeceris? Quid si accumbentes videas torrente voluptatis potari? Quid si Deum accinctum, ministrantem audias? Quali impetu in finem tendis? Quanto desiderio illi mensæ assidere expetis? Infinito, atque adeò impatientissimo. Siste, frustra conaris. Non videbis Deum in terra viventium. Quis me hîc ligatum tenet? Culpa. Quis huc me damnavit? Deus. Hic nònne est qui me procreavit? Ita. Cur igitur sic suam exagitat creaturam? Quia sua jam non est. Jam ego Dei non sum, nec penes Deum cura est de me? Nulla. Execror igitur summum bonum; odi Deum, & ab omnibus odio haberi

beri cupio. Sic miseri illi tanquam canes firmissimè ligati, ad odorem cœlestis convivii avidi, cùm videāt se invitos tanto cum impetu illic cohiberi, furore ac fame rabidi, contra Deum latrant, blasphemant, ululant. Cave; quia non paucis dum calix est in manu, vinum in labiis, cibus in gutture; dum eructant crudam & indigestam crapulam, repentè intercluditur spiritus & jam benè saturi, ac strenuè temulenti, reperiunt sese inter ignes, ubi *famem patientur ut canes.*

Quàm illi mereantur intolerabile, famis, & sitis tolerare tormentum; facilè intelliget, qui illorum epulonum vitam brutæ pecudi, quā homini similiorem sibi ob oculos proponat. (a) Illam nobis proponit, quasi in tabulâ expressam D. Chrysostomus, qui certè illos voracissimos lurcones, ac bibacissimos helluones, tam appositis coloribus de-

(a) *In Acta. c. 6. Hom. 35.*

depingit, ut nil illis ad veritatem exponendam nec addi, nec demi possit. *Cui non est onerosus homo, aqualiculum pinguissimum parans, & quasi bellua marina, trahendus? Non loquor de his, qui naturâ sunt tales; sed his, qui delicatâ vitâ, corpora sua effecerunt talia. Oritur sol, & claros ubiq; radios diffundit, excitat singulos ad opera. Agricola arrepto ligone properat; faber ferrarius suos folles apprehēdit; & singuli opifices, quod sibi congruit; & invenies unumquemque sua instrumenta in manus sumere. Mulier, fusum & telam: Ille autem, quasi porcus statim à matutinis horis ad pascendum ventrem egreditur; quærens, ut mensam sumptuosam instruat: tametsi hoc solùm sit brutorum primo mane pasci; quoniam ad nil utilia sunt, quam mactentur. Illa autem, quæ dorso gerunt, & operibus apta, ipsâ nocte*

ad opus egrediuntur. Hic etiam è lecto surgit, sole jam totum implente forum, & omnibus labore satialis. Surgit autem sese distendens, sicut porcus, qui saginatur: optimâ diei parte, in tenebris consumptâ. Deinde sedet longo tempore in lecto, præ hesternâ crapulâ invenire vestes, & alia non valens, & consumptâ magnâ parte in illis; tum seipsum comit, & ornat, & procedit turpitudinis spectaculum; nil habens hominis, sed omnia, quæ sunt bestiæ, in humanâ formâ apparet. Oculi lippiunt; vinũ os olet: misera anima quasi in lectum conjecta, ob varietatatem ciborũ sine fine infusorum, pondus carnium circumferens, sicut elephas: tandem veniens, sedet in locis; dicit, facitque talia, ut melius esset, illum adhuc dormire, quam vigilem esse; si tristia narrentur, quâvis puellâ trepidior fit; sin læta, puello quovis lætior, ac mollior. Vultus ejus oscitationibus plenus est; omnibus adhæret,

qui

qui volunt malè agere. Quomodo non omnes, talem condemnabunt, & domestici, & amici, & cognati? quis non justè dicet, onus hic est terræ? frustra advenit in mundum talis? imò non frustra, sed in malum sui capitis, in damnum proprium, in detrimentum aliorum. Vestro jam judicio; quis hominem hujusmodi, quem Chrysostomus cum porco, belluâ marinâ, elephante, & cum quâlibet bestiâ meritô confert, dignum judicabit, qui ad nuptias Agni, qui ad Cœnam illam magnam, qui ad illam immensam, cui Deus ipse administrat, qui denique in domum cœlestis convivii admittatur? Egregiè ventrosos illos gnatones, & patinarios parasitos sugillat idem, qui supra Christianus ille Demosthenes: (a) *Tempus belli, tempus certaminis est; tu autem sedes in delitiis! Tu impinguas teipsum, certaturus? stat adversa-*

(a) *In Acta. c. 13. Hom. 27.*

versarius stridens dentibus in te; tu autem effusus es; & mensæ addictus? Christus præ fame tabescit: tu autem præ gulâ teipsum disrūpis? Nunquid sacrificandi sumus, quod impinguamus nos ipsos? Quid suppeditas vermibus tam splendidā mensam? Quid amplius facis, quàm saniem? Cur fontes sudores, & fæces, in te deponis? Cur defodis Animam? Cur crassum parietem, crassiorem facis? Cur magnum fumum, & nebulam? Nullus ergò speret post Bacchanalia, & saturnalia, cœleste convivium, sed timeat æternum jejunium.

VERMIS CONSCIENTIÆ.

V*Indictæ carnis impii, ignis & vermis* (a). Conspirans est Theologorum, quin & SS. Patrum opinio, damnatos veris torqueri vermibus: adeoque in Averno esse propè innu-

(a) *Eccl.* 7.19.

numeros vermes horribiles, fœdissimos, immortales, æternos, qui peculiari præter ignem pœnâ, corpora scelestorum affligant, & acutissimum dolorem inferant, ipsi doloris expertes. Ita D. Basilius: (a) *In Inferno vermium innumerabilium genus venenosum ac carnivorum erit, esitans quidem, nec tamen se satians, intolerabiles dolores morsibus infligens.* S. Anselmus in Elucidario: *Tertia in inferno pœna est vermes immortales, id est, serpentes & dracones visu & sibilo horribiles, qui ut pisces in aqua, ita vivunt in flamma.* Itaque scaturiet undique per nares, oculos, aures, os, examen fœdissimorum vermium, qui perpetuis morsibus omnia intestina, & singula membra acerrimè vellicabunt. Quod tormentum eò erit intolerabilius, quòd cùm singuli

(a) *In Psalm. 33.*

guli ictus, ac morſus ſint mortiferi, nullus tamen vitam auferat, etiam optantibus mori.

Alius ad hæc eſt vermis, qui non corpus, ſed animum corrodit: nimirum quòd neglexerint per omnem vitam, oblatam occaſionem ſalutis, ac temporis non redituri irreparabilem jacturam fecerint. Docet id S. Humbertus è ſancta D. Dominici familia vir undequaque magnus ſequenti hiſtoria. Homo quidam religioſus piis aliquando precibus occupatus, ſeriâ futuri ævi conſideratione diſtinebatur, cùm ecce tibi vocem lugubrem accipit, & ignarus unde adlaberetur. Quæſiit ergò quis gemeret, quid etiam ploraret? Ad quem triſtis iterum ſonus: Sum unus ex damnatorum turba. Quid verò, inquit ille, tam luctuosè ſuſpiras? quid defles tam calidè? Cui denuò querula vox. Noveris ô magne Numinis amice, me, cæteroſque Averni incolas, nil acerbius lugere,

nil amarius deplorare, quàm inter vanitates sæculi, brevesque illecebras, dilapidati temporis jacturam. Post hæc stygis umbra evanuit, suumque auditorem, metu non vano perplexum reliquit: Dum miseri illi cogitant sine ullo fructu transiisse sibi dies salutis, tempus acceptabile, tempus seminandi, nundinandi, placandi Deum, lucrandi cœlum, totos se dedunt lamentis, laxant omnes habenas lachrymis, effundunt se in fletum. O mortales sat temporis perditum, sat datum vanitati, sat Baccho, Cereri, Veneri. Quod reliquum est, Deo, Virtuti, cœlo, Æternitati consecremus. Audies brevi in domo æternitatis incola: (a) *Tempus non erit amplius.* Non erit amplius tempus seminandi, negotiandi, nundinandi: nullum amplius tempus agendæ pœnitentiæ, augendæ gratiæ, accumulandæ gloriæ, placandæ divinæ Justitiæ:

(a) *Apoc.* 6.10.

gloriæ placandæ divinæ Justitiæ: (a) *Ergò dum tempus habemus, operemur bonum.*

Non sinamus inter manus elabi illud tempus, quod nunc est acceptabile, posteà erit irrevocabile, & ejus damnum irreparabile? Hoc tempus est super omne pretium inæstimabile: & tamen, quam parvi illud æstiment mortales, intelliges ex Innocentio Pontifice; ubi graphicè exprimit varia variorum hominum negotia, quibus expendunt dies salutis. (a) *Currrunt & discurrunt mortales per sepes, & semitas; ascendunt montes, transcendunt colles, transvolant rupes, pervolant alpes; transgrediuntur foveas, ingrediuntur cavernas; rimantur viscera terræ, profunda maris; incerta fluminis, opaca nemoris: in viâ solitudinis exponunt se ventis, & ruinis, & præcipitiis, imbribus, tonitruis, fulmini-*

(a) *Gal.* 6.10. (b) *Cap.* 12.

minibus, fluctibus, & procellis: Metalla cudunt, & conflant; lapides sculpunt, & poliunt; ligna succidunt, & dolant; telas ordiuntur, & texunt; vestes incidunt, & consuunt; ædificant domos, plantant hortos, excolunt agros, pastinant vineas, succendunt clibanos, extruunt molendina; piscantur, venantur, & aucupantur: meditantur & cogitant; consiliantur, & ordinant; querelant, & litigant; diripiunt, & furantur; decipiunt, & mercantur; contendunt & præliantur, & innumera talia, ut opes congerant, ut quæstus multiplicent, ut lucra sectentur, ut honores acquirant, ut dignitates extollant, ut potestates extendant: & hæc quoque labor, & mentis afflictio. Sic miseris transeunt dies salutis, donec diem obeant; & dum illi sine fructu transeunt, isti sine fine pereunt.

IGNIS.

TAm erit vehemens ille ignis, ut nec omnes omnium hominum lach-

lachrymæ, nec omnes omnium rivorum, torrentium, lacuum, fontium, fluminum æquæ, nec omnes abyssi & maria, in unum conflata, nec omnes dæmones, vel Angeli exertis omnibus viribus possint vel unicã illius extinguere scintillam. Miraris vim flammæ? Desines, si causam ex Isaia consideres. (a) *Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendit eum.* Quasi dicat: Indefessus Divini furoris halitus, quasi sulphureos evomet torrentes, efficietque, ut ignis ille nunquam langueat, nedum deficiat. Deinde, ignis corpora quidem comburit, non tamen consumit; unde ne unus quidem pilus inter tantos, totque flammarum crepitantium globos, totâ æternitate peribit. (b) Ex Cajetani mente, idem ignis damnatis ergastulum erit & vincula, quibus corpora constringantur in gehenna, nexus quo mens adi-

(a) *Cap. 30.* (b) *In cap. Matt. 25.*

adigatur ad cogitandum acerbitatem ſupplicii, & voluntas cogatur ad impatientiam pœnæ, & inde orietur lugubris mœror, abſoni gemitus, luctus perennis, ejulatus impatiens, feræ lachrymæ, & inſanus furor. (a) Refert Granatenſis, virum quendam ſanctitate clarum illi dixiſſe, ſibi cauterium in aure inuſtum, ut à morbo quodam curaretur; dolorem verò brevi illo tempore tantum fuiſſe, Ut ſi Deus ei optionem dediſſet alterutrum eligendi, aut ſecundùm cauterium perferre, aut ordinem aliquem religioſum quantumvis aſperum, & rigidum ingredi, ſe maluiſſe hunc ingredi, quàm novi cauterii cruciatum ſuſtinere, proh! ſi tantus eſt dolor, brevisſimâ temporis morâ pati in aure cauterium, quid erit toto corpore per omnem æterternitatem ſuſtinere voracisſimum incendium? ubi ſingula corporis mem-

(a) *Tom.* 3.

membra, quin & venæ, & arteriæ, fibriæ, & intestina, & viscera, & ossa, non secus quàm spongia in medio oceano aqua, sic illa in stagno illo ardente igne replebuntur. (a) *Quis habitabit ex vobis, cum ardoribus sempiternis?* Quis ex vobis, qui nil oletis nisi balsamum, & unguentum, nil calcatis nisi rosas, & violas; nil expetitis nisi delicias, & epulas? qui ducitis in bonis dies vestros, in lascivia noctes? Quomodo vos delicatuli trossuli, quibus tormentum videtur intolerabile, summâ cute, momento uno, perferre minimam minimæ flammæ scintillulam; poteritis æternam noctem dormire in candenti lecto, in ardenti furno? Attendite, & expendite verba S. Augustini, ut evadatis flammas ardoris sempiterni. (b) *Non erit iste ignis, sicut focus tuus, quò tamen si manum tuam mittere cogeres, facies quid-*

(a) *Isai.* 33. (b) *In Psal.* 49.

quidquid voluerit, qui hæc minatur. Si dicat: Scribe contra caput patris tui, ſcribe contra caput filiorum tuorũ; nam ſi non feceris, manum tuam immittam in focum hunc; facies, ne ardeat manus tua: Minatur ergo inimicus tuus tam leve malum, & facis malum; minatur Deus æternum malum, & non facis bonum?

Intellexerat hoc æternum malum, ille D. Dominici magni Patriarchæ filius, vir morum integritate celebris. (a) Hic Rege Caſtellæ connivente, per quoſdam ad flagitium pellectus fuit; qui pellicem adornarunt, quæ eum ſalaciter, & fallaciter invitaret ad ſcelus: ei locum, tempus, opportunitatem omnem condicit. (b) Adeſt illa, nocte concubia, à Monacho dum intromittitur: ſed clam ipſo, teſtes ex inſidiis rei eventum

(a) *Cantipr. tell. 2. 6. 3. n. 45.* (b *Spinelius de Beatâ virg.*

tum operiebantur. Dum Ecce, ut ad cubile venit, in medio pavimento; ex ſuccenſis carbonibus, ad menſuram corporis ſui, flammeum ſtratum exhibet; nec mora, ſuper illud ſe nudum conjicit, ſic eam compellans: veni, hic lectus dignus, ubi libidinem expleas. Accurrunt ex inſidiis Proceres, hominem attollunt: ſed citra aduſtionem, & ni hic interceſſiſſet, ipſam pellicem igni addixiſſent, ſed ſuffecerat ſibi ignem ignibus extinxiſſe.

DESPERATIO.

C*Lauſa janua.* (a). Rex Balthaſar cùm in convivio vidiſſet tria arcana verba ſcribi in pariete, quaſi à manu hominis. (b) *Mane, Thekel, Phares: facies commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur.*

(a) *Matth.* 25. (b) *Dan. cap.* 5.

tur. Ita nimirum inauſpicati ominis tria illa verba erant, licèt nondũ à Rege intellecta. Tria ſunt verba quæ damnatos atrociter perturbant, ob quæ omnium genua ad ſe invicem colliduntur: nimirum, *Clauſa eſt janua*. Primo momento quo infauſti anima ingreditur illud ferale ergaſtulum, omnis infelicitatis receptaculum, clauditur illi janua ſpei, miſericordiæ, quietis, felicitatis, gratiæ, pietatis, ſolatii, omnis boni. Omnes conſolationis aditus illi ſunt obſtructi, luctus ac mœroris omnes aperti, Adamantinis ſeris clauditur Infernus; clathris ferreis hic carcer munitur. Hinc deſperati ab omnibus tanquam rabidi canes, jugiter ululant contra cœlum, cœlites, Deiparam, Chriſtum, Deum: optarentque omnes ſecum damnari. Intellectus enim damnatorum, qui Deum non videt niſi in effectibus pernicioſisſimis, flammis

ultricibus, pice liquatâ, ardenti ſulphure, horrenda ſocietate, plagiſq; dæmonum, fœtenti, ac tenebricoſo carcere, aliiſque id genus malis, quibus accedit æternitatis incrementum, quo exigui temporis peccata vindicantur: Intellectus, inquam, damnatorum nil aliud videns, aut voluntati repræſentans, furioſo, atque implicabili odio in Deum feretur, à quo tota hæc vindicta proficiſcitur: & vicisſim ex deſperatione ardebit infinito vindictæ deſiderio, Deique (ſi fieri poſſet) conculcandi, atque exterminandi. Nihil igitur intellectui offeretur, quod vel minimum posſit adferre ſolatium. Patet id exemplo Ariſtotelis, quem ajunt à morte cuidam ſuo apparuiſſe diſcipulo, ac dixiſſe: (a) *Omnia quæcumque ſciebam, oblitus ſum, ſolum mihi ſupereſt hoc ſcire, quod in æternum perierim.* Hoc ne æternùm cogites, hîc modi omnes ex-

(a) *Magalinus in Iudic. n. 43.*

excogitandi, ne pereas. Tunc ſerò ſeria voles ; quia, ut ſcitè Epiphanius, (a) *poſt hominis mortem obſignata ſunt promptuaria, & impletum eſt tempus, & certamen perfectum eſt, evacuatum eſt ſtadium, & coronæ datæ ſunt, & qui decertarunt, quieſcunt, & qui non certarunt, non amplius adſunt, & qui in ſtadio victi ſunt, dejecti ſunt, & omnia palam conſummata ſunt, poſt factum hinc diſceſſum.* Hic ergo antequam animam agis, agenda eſt pœnitentia, ne fatuus cum fatuis virginibus audias triſte illud, *Clauſa eſt janua.* (a) Quæ janua? Clauſa eſt janua omnis ſolatii; ô luctus! omnis gratiæ: ô jactura! omnis meriti: ô infelicitas! omnis miſericordiæ: ô miſeria! omnis ſpei; ô deſperatio! omnis boni: ô malum! Tibi ergo ipſe conſule, quia ſi momento

(a) *Hæreſi* 59. *lib.* 2. (b) *Matth.* 25. 10.

illo, quo in ictu oculi clauduntur omnia, fuerit anima tua destituta gratiâ, æternùm audies: *Clausa est janua.*

Memoriæ proditum est in fastis Ordinis Cisterciensis, quendam, qui illius Ordinis intraverat familiam, & amplexatus fuerat institutum, inchoatæ illic vitæ pœnituisse; (a) atq; adeò, voluisse, unde pedem extulerat, & Ordinem deserere. Quod, cùm jam firmiter secum decreverat, apparuêre illi, qui dudum fuerant, mortui, parentes ejus, qui hoc ejus decretum damnabant; & ne exqueretur, dissuadebant. Tandem, cùm nec sic à proposito, & quod animo agitabat consilio, posset revocari; mater mœsta penitus, denuo se spectabilem exhibuit; & ab eo, cur Ordinem deserere proposuisset, quærebat. Respondit is, non posse se tantam tam rigidi Ordinis sustinere asperitatem. Tum ad illum mater. Et ama-

(a) *Vincentius T.3.818.*

amabo te, inquit, fili, Inferorum pœnas quî sustinebis: Cùm reponeret alter, Ordinem hunc videri sibi ipsas Inferorum adæquare pœnas; cujus vigiliæ, quasi perpetuæ, silentium amarum, lectus ferreus, cibus insipidus, vestitus asper: intulit mater: Placet, ait, fili unum, sed modicum Inferni experiri tormentum; & cùm alter placere sibi oppidò responderet. Audivit tàm horribilem porcorum gruñitum, ut nullum quantumcunque fragosum tonitru posset cum eo conferri: videbatur ei totum supra caput ejus scindi, & in partes findi cœlum; & cum præ dolore, ac timore clamaret, & animo deficeret; mater deficientis animum confirmavit, & mox cessavit ille sonitus. Vel ille clamor satis illi fuit, ut in arrepto vitæ instituto persisteret, & ad mortem usque perseveraret. Sed quales erunt desperatorum querelæ, cujusmodi ululatus, quid la-

mentando miseri illi deplorabunt? Accipite mæstas damnatorum elegias, flebilesque nænias, ac lugubres lessus ex D. Ephrem. (a) *Tunc amarissimè illachrymantes, ejulantesque dicent: O quo pacto, in negligentiâ, atque torpore tempus nostrum transegimus! O quomodo illusi sumus! O quomodo Divinam scripturam audientes, irridentesque, nos ipsos irrisimus! Ibi Deus loquebatur nobis per scripturas; & non attendebamus: hîc nos jam clamamus; & ipse suam à nobis faciem avertit. Quid nobis proderunt fines mundi? Vbinam, qui nos genuit pater? Vbi, quæ nos peperit mater? Vbi filii? Vbi amici? Vbi divitiæ? Vbi substantiæ, atque possessiones? Vbi turbæ? Vbi convivia? Vbi varii & intempestivi cursus? Vbi Reges, atque Potentes? Quomodo à nullo eorum salvari modò possumus: neque verò*

nobis

(a) *Tract. de abrenuntiatione sub finem Tom.*

nobis ipsi opem adferre. At penitus derelicti sumus, & à Deo, & à sancto ejus? Hæc erunt, quæ pangent desperati carmina.

ÆTERNITAS.

INter infinita tormentorum genera unum est quod damnatos acutissimè urit, quod sibi dictum esse nimis verè illud Jeremiæ intelligant; *Perditus in æternum eris.* (a) Immane supplicium perferunt à cæca nocte; quam stygiæ tenebræ secum vehunt & excludendo solem , commune captivorum solatium. Neque tolerabilior est mephitis illa, quæ exhalatur ex inferorum cloaca , plena pestilentissimi fœtoris. Augent dolorem multiplices lachrymæ, quæ ex oculis quasi continuo fonte fluunt. Porrò miseriam miserrimorum apud Inferos civium accendit ignis stygius. Acerba hæc omnia. Sed nil his omnibus

(a) *Cap. 51. 26.*

acerbius illo, quod singulis tormentis totâ mole incumbit, Æternitatis pondere. Hoc immensum pondus cum his momentis ponderasset salax quidam Juvenis (a) (de quo Granatensis,) sic ipse secum disserere. Non posset invenire homo aliquis in hoc mundo sani cerebri, qui totius mundi imperium vellet admittere eâ conditione, ut per annos 30. aut 40. in lectulo plumis molli, in culcitra rosis & liliis strata extensus jaceret. Quod si ita est, quæ mania, quæ phrenesis, quæ hominum dementia, velle pro re nihili amplecti lectum ardentem, in quo torreatur æternùm? Ea cogitatio sic hominem pupugit, ut ad frugem redierit, & tandem ob exquisitas, quibus pollebat, virtutes, in Antistitem fuerit adscitus. Penetraverat in ipsa Æternitatis adyta Eminentissimus Cardinalis Bellarminus, cùm illa ver-

(a) *Dux pecc.l.1.p.1.c.10.*

verba Lovanii in D. Michaelis templo è ſuggeſtu proferret: (a) *Tam horrenda res eſt, ſine fine torqueri, ut licet unus tantum ex omnibus filiis Adæ tali ſupplicio eſſet mactandus, meritò omnibus pavendum ac trepidandum eſſet.* Si iſta non credimus, ubi eſt fides noſtra? Si credimus, ubi judicium? Si ſanæ mentis ſumus, ſi Divinis oraculis, ſi Prophetarum vaticiniis, ſi Eccleſiæ, ſi Chriſto, ſi Deo fidem adhibemus, quo pacto tam horrendo periculo imminente dormimus? (b) *O æternitas!* (exclamat nonnemo) *quem cui conſideratio non movet, caret vel mente, vel fide.* O quæ calamitas! immerſum eſſe in ſtagno ſulphureo, velut victimam deſtinatam ad pœnas perſolvendas, in igne excitato flatu iræ Divinæ: nil amplius circa videre, niſi terrifica dæmonum ſpectra, ad nihil ſuper-

(a) *Serm. de Infer.* (b) *Pædag. Chriſt. p.1.c.8.§.8.*

esse, nisi ad tormenta & cruciatus in toto corpore & anima perferendos: deprehendere gehennam in propria conscientia : aliam non habere vitam, quàm æternitatem pœnarum: immò momentis singulis cogitare, hoc omne & totum quod patior, in flamma, in sulphure, in pice, in fœtore, siti, & fame, sine fine, absque cessatione, sine interruptione minima, perpetuò esse patiendum. Hoc demum est terribilum omnium terribilissimum.

Conceperat illud terribile arcanum, quantum fas est homini, (a) Ægidius ille Religiosissimus, qui affirmabat : si unus tantũ homo damnandus esset, cæterique omnes salvandi : ego totis viribus adniterer, ne unquam peccarẽ, ne sic essem ille unus. Quid verò ad ista talia nobis animi est? imò, quis esse debet? opportunè Bernardus, (b) *Alterum è*

(a) *A Lapid. in* 1. *petri* 1.10. (b) *l. de Animâ* 23.

duobus eligamus, aut semper cruciari cum impiis, aut perpetuò lætari cum sanctis. Bonum siquidē & malum; vita & mors, ante nos sunt posita: ut ad quod voluerimus, manus extendam⁹. Magni utrimque momenti sunt ea, quæ Christiano in deliberationem venire oportet. Utrimque æternitas est; sed altera beata; infortunata altera: ab hominis cujusque electione pendet, utram admittat. Qui rectè, prudenterque vult eligere, necesse est, imitetur Davidem, cujus est illud: (a) *Cogitavi dies antiquos; annos æternos in mente habui; & meditatus sum nocte cum corde meo.* Dignum planè exercitium, non infimis duntaxat mortalibus, & mediocribus, sed summis etiam Capitibus, & coronatis verticibus, dies, noctesque cum secuturâ æternitate occupari, præsertim quando de eâdem, volucres sibi aliisque occinunt. Civis Erfordii, corvū olim habuit,

(a) *Ps. 76. 67.*

domi ſuæ cicurem incolam: Advertit aliquando herus, quod avis triſtior ſederet, ſuiſque ſe plumis involveret, meditabundæ ſimilis: Ergò hortatur, quid mente coqueret, aut quæ ſeverior cogitatio animum exederet. Tum corvus quâ voce potuit: *Cogitavi*, inquit, *dies antiquos*; *& annos æternos in mente habui*: hæc ubi dixit, ſimul ex oculis patris familias abiit; ut credibile ſit, ſub corvi ſchemate, ſpiritum aliquem latuiſſe, quem æternitatis memoria exercuerit. Neq; tamen moror, ſpiritus hic fuerit, an veri nominis corvus? vellem, ut cum ipſo ſinguli quotidie, immò in momenta ſingula nobis occineremus de annis æternis tranſigendis: aut inter gaudia quondam Beatorum, aut inter Inferorum ſupplicia. Denique, hæc pauca tecum identidem meditare: Neceſsè eſt, mihi ſit poſt ultimum halitum corpori, & animæ, æter-

ternum benè, vel æternum malè E-
lige, benè elegisse, erit eligenti æter-
num bonum; malè, æternum ma-
lum.

*Vt quæ legisti effugias, hæc pauca ex-
pendas.*

QUid gravius quàm semper velle quod nunquam erit, & semper nolle quod nunquam erit? In æternum peccator non assequetur quod vult, & quod non vult; nihilominus in æternum cogetur pati. Clarius orat. 12.

Quid (inquit quidam Sanctus) tristius & durius, quàm dici semper NON, ad ea quæ petuntur: & semper dici ITA, ad hæc quæ maximè odisti? Ad districti judicii justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato, & nullus detur iniquo terminus ultionis, quia quamdiu valuit, habere

noluit terminum criminis: S. Gregor. in Moral.

Tunc videbit impius quòd Deus cuncta conspiciat, cùm viderit se pro occultis damnari; aperiet oculos in pœna, quos clausit in culpa. Idem 25. Moral. cap. 3.

Cruciatur, & non extinguitur; moritur, & vivit; deficit, & subsistit; finitur, & sine fine est. Idem lib. 9. Moral. cap. 40.

EXEMPLUM.

Jordanus Generalis Ordinis S. Dominici, filium cujusdam Comitis lascivum ac salacem, inferorum objectis pœnis ad frugem convertit. Multa illi suggesserat pia consilia, & salubria monita, sed surdo canebat, cæco prælucebat. Tandem cùm videret eum formâ decorum, vultu speciosum, aspectu gratum, his illum aggreditur verbis: O Juvenis speciosissime, unum te rogo, ut quando respi-

respicies tui ipsius formam & formæ suspicies venustatem, quando pulcherrima illa intuebere mẽbra, cogita, sed seriò. Nunquid dolendum foret, si contingeret formosa hæc formosissimi corporis membra, fieri æterni incendii fomenta, perennium flammarum pabula? si illi limpidi oculi, aurea cæsaries, eburnea frons, roseæ genæ, corallina labra, nivea cervix, lactea colla, hoc de tam affabre concinnatũ corpus, deberet obduci fuligine, involvi sulphure, fumare inter crepitantiũ flãmarũ globos? Non caruit hoc consilium successu: sæpius hæc Juvenis ille secum perpendere, sæpius in mentem revocare: nec fructu pœnitendo. Nam perspectâ tandem rerum omnium vanitate, mundum jussit res suas habere, eique renuntians, ad religiosam se contulit familiam, malens ibi brevi tempore corpus affligere pœnitentiis, quàm æternis affligi suppliciis.

Juvenis quidam in quasvis sese effundebat delicias. Interdiu ambulalabat inter rosas, noctu cubabat inter plumas; omne tempus terebat inter delicias. Hic die quodam hæc secum cogitare: illam quam duceret vitam, esse viam ad mortem: incumbere sibi necessitatem semel patiendi vel hîc parva, vel postea summa: nemini fas esse transire à delitiis ad delitias; toto corpore, totâ æternitate ardere; non tantum esse grave, sed intolerabile. Ergo patiamur, ne patiamur: hîc ad momentum, ne posteà in æternum. His ita expensis, ad D. Dominici sese contulit asceterium. Cùm in sacra illa pietatis palæstra, corpus suum inflictis per cilicia, & flagella pœnis, graviter exerceret; parentes conscii, virum gravem ad eum delegant, qui suaderet, priusquam votis se Deo obstringeret, à statione discederet, Ordinem desereret. Quia, inquit, naturæ

com-

complexione nimis es delicatus, non poteris tam rigidi Ordinis ſuſtinere aſperitatem; ad quem Juvenis: Itane verò? Ideo mihi ad mundum ſuades reditum, quia delicatus ſum? At hæc ipſa unica fuit, cur mundum deſerui, cauſa: cùm enim non neſcirem me adeò eſſe delicatum, ut nec pulicis in ſumma cute poſſim perferre aculeum, nec unius noctis febriculam, nec unius ſcintillæ ardorem, quin præ dolore exclamem: Æternos, eoſque acerbiſſimos, per ſingula totius corporis membra, qui potero ſuſtinere cruciatus? Itaque cum alterutrum ſit eligendum, elegi potiùs pœnitentiæ aſperitatẽ in hoc Ordine, quàm pœnarum acerbitatem in illo loco, ubi nullus eſt ordo.

O homo qui deſideras regnum Dei poſſidere, cur feciſti malum? Dum potes, emenda: dum tempus habes, clama ad omnipotentem Deum; dum datur ſpatium, luge: dum

licentia est, pœniteas : festina dum potes, dum anima versatur in corpore, dum adhuc vivis, futurum remedium requirere tibi, priusquam te in profundo absorbeat pelagus, & priusquam te malignus rapiat infernus, ubi nulla datur indulgentia, ubi nullus regreditur ad veniam. S. Aug. serm. 40. de Sanct.

Si haberes (ut ait S. Hieronymus) sapientiam Salomonis, pulchritudinem, & formam Absolonis, fortitudinem Samsonis, annos, & vitæ tempora Enoch, Crœsi divitias, Octaviani potentiam, quid hæc omnia in fine vitæ profuerint, si corpus vermibus, anima diabolis cedat, ut cum divite Epulone æternis tormentis torqueatur?

Expiatura erit illic inextinguibilis concrematio, quidquid hic non studuerit sanare correptio. Ardens inferni puteus aperietur, descensus erit, reditus non erit. Illic denudati,


&

& corporaliter mortui perpetuum demergentur, deijciendi in tenebras exteriores infeliciter exclusi, infelicius includendi. De hoc puteo Propheta dicit: *Neque absorbeat profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Psal. 68. Ideò dicit, *Neque urgeat super me puteus os suum*: quia cùm susceperit reos, claudetur sursum, & aperietur deorsum, dilatabitur in profundum, nullum spiramen, nullus liber anhelitus claustris desuper urgentibus relinquetur, detrudentur illic vale dicentes rerum naturæ, ultra nescientur à Deo, qui Deum scire noluerunt, morituri vitæ & morti sine fine victuri. Eusebius Gall.





Tot afflues bonis si fueris bonus.



DE COELO, PROOEMIUM

HActenus lustravimus illa terra, & formidabilia draconum cubilia, peragravimus subterraneæ illius regionis, quæ operta est mortis caligine, cavernosos specus, percepimus naribus illam pestilentissimam mephitim, quæ ex illo sulphureo vaporario exhalatur; excepimus auribus luctuosissimos illos ejulatus, stridores dentium, ac flebiles elegias damnatorum, enatavimus per ardens illud stagnum pice, & sulphure; jam tandem exemplo Christi, qui prius descendit ad Inferos, postea ascendit ad cœlos, emergamus ex hoc tartareo luto, & lateo flumine, & oculos attollamus in altum, contemplemur perspicacissima mentis acie pictum

illud, & fulgentibus ſtellis, ut ſapphiris, chryſolitiſque radians ſummi Numinis palatium, ubi electi ævo ſempiterno læti, coronatique fruuntur. Et hoc proprium eſt hominis, qui hic velut in exilio peregrinatur à Domino, cælum velut Patriam contueri. Cur enim exiſtimatis Deum, os hominis, oculoſque in altum erexiſſe? cur ut bruta pecora lutum, ſolumque ſpectamus? Accipite reſponſum à Divo Bernardo. (a) Propterea Deus rectum fecit hominem, etiam corpore ipſo, & os hominis ſublime dedit, cùm prona utique ſpectent animantia cetera terram, & attollens ad ſidera vultus illico ſuſpiret, ubi tam beatam, & perennem conſpicit manſionem: mane piè, & fideliter nobis eam intuentibus, vehementisſimum quoddam incentivum amoris, & provocatio flagrantisſimi deſiderii, & viſio ipſa illius lucidisſimæ regionis? non ſunt ſtellæ cœli ſimiles gle-

(a) *Serm. de S. Martino.*

bis

bis terræ, inter splendorem solis, & caliginem terræ hujus, non parva distantia est; forte tamen in terra nonnulla pulchra videntur, & hæc ipsa undique mixta non pulchris, & aurum in luto, gemma in pulvere, lilium inter spinas, tota pulchra es, patria mea, & macula non est in te: tota pulchra es, absque eo, quod intrinsecus latet: non sine causa cœlum dicitur plane eximium, nescio quid celatur in eo; videmus patriam, sed à longe salutamus, adoramus illas delicias, sed non gustamus. Ita *S. Bernardus. Nunc igitur & sursum ascendamus vos adhortor, duabus istis voculis, quas toties in sacrosancto Christi sacrificio auditis.* Sursum corda. *Hactenus corda vestra fuerunt deorsum in regione mortis, in tartarorum altissimo barathro, in centro terræ; nunc sursum corda, sursum supra terram, & terrarum palatia, ac divitum pavimenta: ac quid*

quid ex terra concretum est: sursũ super omnia sublunaria, & aeris regionem, & planetarũ domicilia, ac sphæram ignis; sursum super omnes stellas, & solem, & orbes cælestes, & firmamentum; intrate in gaudium Domini, in illud gaudium quod nemo tollet à vobis, state ut viri illi Galilæi, aspicientes in cælum, & ut verbis utar S. Bernardi. Visitate singulos ordines Angelorum, Patriarcharum numerum, & cuneos Prophetarum, & Apostolorum senatum: (a) suscipite Martyrum coronas purpureis floribus rutilãtes, redolentes liliis cohortes Virginum admiramini, & ad mellifluum novi cantici sonum: quantum prævalet infirmitas cordis, erigite aures.

CAPUT I.

Homo novus despicit magna terræ, expensâ magnitudine cœli.

IMmensum propè est, ut spatii intervallum, sic & conditionis discrimẽ,

(a) *Serm. 4. de Ascen. Dom.*

crimen, inter hæc tria tri loca, cœlos, terras, Inferos. Cùm enim mundus hic medius ſit inter cœlum, & Infernum, in quo ea quæ ſupra in cœlo, & infra in orco continentur, inveniuntur; ex amore eorum, quæ homo amplectitur, ejus felicitatis, vel miſeriæ augurium capitur. In cœleſti illa gloria, vita abſque morte reperitur, in Inferno autem mors abſque vita: medius utriuſque mundus, morte, & vita conſtat. In cœlo ſanitas eſt abſque morbo: in Inferno infirmitas abſq; ſanitate: in mundo, & ſanitas, & infirmitas. In cœlo gloria abſque miſeria regnat; In Inferno miſeria ſine gloria dominatur: in terris, utrumque invenitur. In cœlo pax abſque bello, in inferno bellum ſine pace. In mundo, utrumque videre eſt: denique in cœlo ſunt omnia bona ſine malis; In Inferno, omnia mala ſine ullo bono, in hoc mũdo, bona, & mala inter ſe mixta.

Nunc autem noſtri eſt arbitrii quamdiu ſol intelligentiæ lucet ſupra horizontem Animæ noſtræ, quæ placet eligere, vel bona æterna ubi nulla ſunt mala, vel mala æterna, ubi nulla ſunt bona. Sed ne in horum electione erremus errorem irreparabilem, quem tota nec corriget æternitas, poſtquam timore vos perculi proponendo æterna in orco mala, jam contendam deſiderio accendere, obtinendi æterna quæ in cœlo ſunt bona. Illic interim fixa ſint noſtra & corda, & lumina, ubi vera ſunt bona, & gaudia. Priuſquã tibi infinitos cœleſtis gloriæ theſauros aperiam, locum ipſum in quo hi theſauri abſconditi ſunt, proponã, & quantus ille ſit mole, quam altus, longus, latus, exponam. Magnitudinem cœli facilè quis conjiciet ex altitudine, altitudinem ejus demonſtrant Aſtronomi primo ex ſole. Prodeat ergo in theatrum vas illud

ma-

magnum, fons omnium luminum sol, cujus aſpectu quotidie perfundimur, cujus aſpectu quotidie fruimur, cujus ſpeciem quotidie intuemur. Is noſtris oculis non videtur major globo aliquo communi ſphærico. Quantæ putatis ſolem eſſe molis? ſuprà totius terræ ambitum centies, & ſexageſies; hæc non eſt unius, ſed omnium plane, nullo excepto, Aſtronomorum conſpirans ſententia. Itaque ſunt in *ſole* 160. quaſi mundi. Et tamen quam exiguæ apparet nobis ſol molis? Jam verò quantum putatis diſtare ſolem à terra? neceſſe enim eſt immenſo quodam ſpatii intervallo à nobis diſtare, cùm tam vaſtum corpus, nobis appareat tam puſillum. Audite & obſtupeſcite. Diſtat ſol à terra 4. millionibus milliarium (millionem voco decies centena millia) & amplius. Unde ſequitur tantam eſſe periphere am, & vaſtitatem,

tem Cœli ſolaris, ut ſol.24.(a) horis ſuum circulum peragens, una hora percurrat unum millionem & 140. millia milliarium: quod tantundem eſt, ac ſi terræ ambitum, & gyrum circumcurret quinquaſies. Ambitus enim convexi cœli ſolis continet 27. milliones & 360. millia milliariorum. O liceat hic clamare (b) *O Iſrael quam magna eſt domus Dei &c.* O Reges! ac terrarum Principes! Quid pro digitali terræ glebula tam atrocia bella geritis! Quid pro arena una totum orbem cædibus funeſtatis, & tam cruenta prælia præliamini? cœlum aſpicite; & ſuſpicite. Quale regnum vertici veſtro incumbit, pro illo pugnate, donec expugnetis. Nullum pro eo bellum non juſtum eſt. Sed relicto ſole, altius animo aſcendamus, & quam pusſillum ſit, quidquid in terra videtur magnũ, intelligamus. Aſcendamus à cœlo ſolis ad

(a) 3. (b) *Baruch.3.14.*

ad ipſum firmamentum. Quantum putatis firmamentum diſtare à terra? Docebunt nos iidem illi Aſtronomi. Probant illi, & convincent terram à concavo firmamenti, ſive cœli octavi, & ſtellati, diſtare octoginta millionibus milliarium cum dimidio, ſpisſitudinem verò firmamenti eſſe eandem. Quanta ergo debet eſſe diſtantia, ſpisſitudo, & amplitudo cœli noni, decimi, & undecimi ſi qui ſint aliis ſuperiores, ac maximè cœli empyrei? Inde jam deducunt, ſi lapis molaris inciperet cadere à convexo firmamenti verſus terram, antequam terram attingeret, opus eſſet *92.* annis ut decideret. Deus immortalis, videtur id humana fide majus. Vos proponite vobis lapidem molarem, ingentem, quam vaſtum, ſummi ponderis; quo majoris eſt ponderis, eò celeriori impetu deorſum fertur: fingite talem lapidem cadere ex altiſ-

ſima

ſima quam unquam vidiſtis turri, dicetis momento prope eſſe in terra: omnes qui ſunt circa turrim fugiunt, dum vident ex alto moveri. Fingite Angelum revelare vobis jam nunc ex firmamento devolvi lapidem hujuſmodi rectà ſuper veſtra capita. Non eſt quod quis hinc fugiet, ut interitum effugiat, maneat quiſque ſecurus ſine metu: ſi ſit adoleſcens, fiet juvenis, fiet vir, fiet decrepitus & depontanus ſenex, toto incaneſcet capite, antequam lapis is tangat caput: cùm inceperit agere annum 90. tum tempus eſt ut fugiat, & ſibi proſpiciat. Ex hac ergo cœli, à terra diſtantia, conſtat, quanta ſit cœli altitudo. Sed firmemus in firmamento adhuc gradum, & quanta ſit ſtellæ magnitudo, inquiramus, docent Aſtronomi, nullam eſſe ſtellam quæ non decies octies major ſit toto globo terræ, & tamen ſtellæ prope
ſunt

ſunt innumeræ. Quælibet autem ſtella in æquinoctiali poſita ſingulis horis conficit plus quàm 42. milliones milliarium; ſi ergò in ſtella aliqua, & multò magis ſi in cœlo empyreo conſiſteremus, & deſpicеremus hunc terræ globulum, an non exclamaremus cum Seneca. (a) *Hoc eſt punctum quod inter gentes ferro & igni dividitur! ô quam ridiculi ſunt hominum termini. Punctum eſt in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis, ſurſum ingentia ſpatia ſunt.* Deinde cum formicis homines conferens. *Cùm te, ait, in iſta verè magna ſuſtuleris, quoties videbis exercitus ſubjectis ire vexillis, dices, it nigrum campis agmen, formicarum eſt diſcurſus iſte, in anguſto laborantium.* Videte nunc quam ſint omnia quæ videntur magna, riſu, & contemptu digna. Poëtæ ſi quando quempiam

piam

(a) *L.1. Natur. in proemi.*

piam parvi volunt facere, ac vilependere donum ejus, aut prædium, aut fundum, aut agrum parvum esse ajunt itaque contemptim describunt, ut cum ipsa domo Dominum contemnere & palam ridere videantur. (a) Hoc pacto inter Græcos Lucilius scripsit, Monophanis agrum tam parvum extitisse, uti se suspendere in illo, propter famem non potuerit, neq; mortuus sepeliri. (b) Alius quidam Lupo gratias agens, affirmat se prandium ab illo, quàm prædium accipere maluisse. Nam pensilem præ fenestra hortum suum in florum testa, rure illo esse majorem: cùm ruta unica totum illud rus occupet, cum unius cicadæ ala rus totum tegat: cùm uno die formica totum rus assumat: cũ clausæ rosæ folium, rus totum coronet. O miseri Monophanes, qui agros

(a) *L.2. Antholog.* (b) *Martial.l.* *11.epig.19.*

gros tam angustos, qui fundos tam breves, qui domos tam exiguas, qui prædia tam contracta, qui atomos, qui unius rutæ spatium, qui locum ab ala cicadæ tegendum, pratum à formica devorandum, hortum à rosæ nondum apertæ folio coronādum, capacissimo cœlo, vastissimo palatio, immenso Deo antefertis. Bestiæ deorsum spectant, porci lutum versant, talpæ terram in delitiis habent, forex fodit, & rimatur glebas, scarabæus stercora amplexatur, sic peccatores, sic infideles, sic hæretici, sic athei, quia neque animum, neque oculos ad cœlum attollere possunt, toti terrenis inhiant, ad lumen noctuæ, ad tenebras aquilæ. Aliter filii Dei, qui patrē suum non in rebus parvis, sed magnis, non in imis, sed summis, quærunt: quia spem, fidemque habent æternitatis: oculos in stellas conjiciunt, animum ad cœlum attollunt, men-

mentem in Deo defigunt: hinc tam læti alacresque caduca relinquunt, terrena contemnunt, vilia calcant.

CAPUT II.

Novus homo spretis terræ angustiis, meditatur ampla ex cœli amplitudine.

UT in hoc argumento de cœlesti gloria, quod & jucundissimum est auditu, & utilissimum fructu, ordinatè, sine confusione procedamus, hunc ordinem observemus, ut primò, locum ipsum, qui est cœlum empyreum depingamus, deinde dotes & gaudia omnia quæ in corpus, tum quæ in animam redundabunt, exponamus. Prius conatus fui ad oculum demonstrare cœli immensam magnitudinem ex magnitudine solis, stellarum ac firmamenti, ejusque à terris distantia, mo-

modò à firmamento ad cœlum ipsum empyreum, Beatorum felicissimum domicilium, gradum faciamus. Ut cœli amplitudo ab omnibus intelligatur, notandum est, undecim esse cœlos, qui his nominibus ab Astrologis insigniuntur, cœlum Lunæ, Mercurii, Veneris, Solis, Martis, Jovis, Saturni, firmamentum, primum mobile, cœlum crystallinum, & Empyreum: quod est regnum Beatorum. Hic est ergò cœlorum ordo. Jam ut reliquis omissis de cœlo Empyreo disseramus, quantæ sit illud capacitatis, accipite ex Astronomis. Dixi antea, firmamentum distare à terra 80. millionibus milliarium cum medio, & amplius; quantum putatis ergò distare ipsum cœlum empyreum? Ex mente omnium Astronomorum, cœlum Empyreum, quoad concavam sui partem, distat à centro terræ mille 295. millionibus,

nibus, & 9. millibus milliarium. Jam si secundùm eorum principia, tantundem spissitudinis illi tribuas, pars ejus convexa distabit à centro terræ bis mille 590. millionibus, & 159. millibus milliarium, & hæc tantum semidiametrum faciunt. Integer ergò diameter per centrum terræ, usque ad convexam ejus partem continebit quinque mille, & 180. milliones, & 318. millia milliarium. Tota verò circumferentia convexæ ejus partis, quæ ter diametrum cõtinet, & paulò amplius, illud amplius relinquendo, complectetur 15. millia milliarium, & 540. milliones & 954. millia milliarium. Quæ certè altitudo, & latitudo immensa est, & vastitas incomprehensibilis: quæ licet fidem humanam superare videatur, tamen scripturæ loca varia non exhaurit: cùm dicat locum cœli esse immensum, nec habere finem. Et Ecclesiastes. (a) *Altitudinem cœli,*

(a) *Cap.* 3.

& latitudinem terræ, quis dimensus est? Quasi dicat. Nemo Geometra potest metiri: quia est tantum non imensum. Quis hæc cogitans tam amens sit, & stolidus, ut iniquè punctum ex hoc puncto, videlicet agrũ, domum, aut rem aliam, proximo, per vim aut fraudem surripere, itaque se immensis orbium supernorum spatiis excludere velit? Quis punctum terræ præferat cœlorum immensitati? Quis particulâ terræ rubræ, vel albæ (nec enim aliud est aurum, vel argentum) vendat vastissima stellarum palatia? Et tamen quot litibus contenditur; quot Advocati, causidici sese fatigant, pro uno prædiolo, pro jugero terræ? Verè Boëtius, terram universam non solum punctum, sed punctum puncti appellat, sic enim loquitur. (a) *In hoc ergò minimo quodam puncti puncto conclusi, de pervulganda fama, de*

(a) *L. 2. de consid.*

proferendo nomine cogitatis? Tam parvus est vicus orbis terrarum, si cœlo conferatur. Illic ergò conversi sint semper nostri oculi, ubi æterni sunt thesauri. Ita S. Symphorianus, adolescens, cùm ab Aureliano Imperatore ad Martyrium raperetur, mater eum hisce verbis animavit. *Nate, nate, memento æternæ vitæ, cœlum suspice, & ibi regnantem intuere, tibi enim vita non eripitur, sed in melius commutatur.* Cœlum suspexit, & tormenta omnia despexit, oblataque fortiter cervice carnifici, cœlum mox fuit ingressus, quod paulò ante fuerat intuitus. Quisquis hic affligeris infirmitate, angeris dolore, obrueris tristitia, involveris ærumnis, cœlum suscipe. Si post gravissimas multorum annorum lites, causâ cecideris, si ereptæ tibi sint opes, si læsa est fama, si passus es bonorum jacturam, si deturbat⁹ es de gradu dignitatis, si excide-

cideris gratia Principis, si hostis agros vastavit, horrea incendit, domum expilavit, omnibus te fortunis exuit; Cupis contra hos morbos amuletum, quæris in tot ærumnis perfugium, exoptas contra omnia hæc mala certissimum præsidium? cœlum suspice. Inter omnia circa se ruentia, stabit semper erecto animo, quisquis convertit erectos ad sidera vultus. Interim quot sunt, qui ob digitale tuguriolum, ob pedale prædiolum, ob exiguum agellum, litibus acerrimè contendent, amicitiam violabunt, contra fas & nefas aliena iniquè tollent, altercabuntur, vociferabuntur, & tantum non se mutuò, si non dentibus, saltem contumeliis, & dicteriis lacerabunt. Audite hic loquentem Augustinum. (a) *Utere mundo, & non te capiat mundus. Quid intrasti? Iter*

 agis

(a) *Trac. 40. in Joan.*

agis, exiturus venisti. Iter agis, hospitium est hæc vita. Quid hic ergò immortalia opera cogitas mortalis? Brevi migrandum est ex hospitio in domicilium, ex hoc exilio ad patriã, hoc carcere in regnum; soluta semel vinculis corporis Anima, non diu hærebit in itinere, licet immenso quodam spatii intervallo dissitum sit cœlum à terra. Sed, si cœlesti gloria digna fuerit, ad summum illud cœlum in momento quasi demigrabit: sicut cogitatio nostra in instanti excurrit, quocumque vult, & subitò est in Oriente, Occidente, Græcia, Hispania, Indiis. Et sicut oculus noster, quamprimum nocte serena illum aperimus, & ad cœlum attollimus, statim videt cœlum stellatum, & omnes stellas; Ita Anima nostra soluta corpore, statim erit in cœlo Empyreo, tot licet milliarium millionibus à nobis dissito. Hac itineris ad cœlum brevitate,

sese

ſeſe ſolabatur, noſtro ſeculo matrona illa generoſa, fidei causâ in Anglia ad mortem damnata, horrendum viſu, ac perpeſſu, ut ſcilicet ſaxo acuto incubans, ſuperne impoſito gravi pondere permeretur, dum vita ei, & Anima exprimeretur, aliis horrentibus, ipſa læta cygneum canens. (a) *Tam brevis, ait, via eſt quæ ducit ad cœlum: poſt ſex horas ſuper Solem, & Lunam evehar; aſtra pedibus premam, empyreum imbo.* O quantus nobis omnibus lætitiæ cāpus aperitur cogitantibus, poſt 6. fors dies, poſt ſex menſes, poſt ſex annos, certè poſt 60. annos, hæc omnia quæ legimus miranda, ſpectabimus, efferemus nos ſuper aërem, & ſphæram ignis Lunam, ſtabimus ſuper planetas, & Solem, firmamentum, calcabimus omnes quæ vertici noſtro imminent ſtellas. Cur ad illa excelſisſima ſpatia cogi-

(a) *A lapide in Penta. 52.*

cogitationes noſtras non efferimus, dum adverſis deprimimur? Hic frequens animi per cogitationes ad cœlum aſcenſus, ſuppeditaret invictum contra omnes vitæ ærumnas robur. Ita S. Vincentius mente in cœlum ſe librans, vicit, imò riſit omnia Daciani tormenta: cumq; in equuleo ſublat⁹, ab eo per ludibrium quæreret Dacianus Tyrannus, ubinam eſſet? *In ſublimi*, ait, *unde te poteſtate terrena tumentem altè, deſpicio.* Graviora minitanti: *Non minari mihi, videris,* reſpondit. *ſed quod votis omnib⁹ concupieram, afferre.* Igitur cùm ungulas, faces, prunas, toto corpore dilacerato conſtanter exciperet, ait. (a) *Fruſtra fatigaris Daciane; non potes tam horrenda cogitare tormenta, quæ ipſe paratus ſum ſuſtinere. Carcer, ungulæ, candentes laminæ, morſque ipſa, ludus, jocuſque Chriſtianis ſunt, non tormenta*: cœlum enim

(a) *A lapide in Prop. M. 914.*

enim cogitant. Sicut igitur qui cœlum sæpè suspicit, non tam oculis illis crassioribus corporis, quàm acutioribus fidei, despicit omnia corporis tormenta, ita & contemnet omnia vitæ oblectamenta.

CAPUT III.

Homo novus erigit se è cœlo ad cœlum, dum contemplatur venustatem Cœli.

(a) STetimus nuper in atriis domus Dei, in suburbiis cœlestis Jerusalem, in vestibulo magni illius palatii: modò subeamus tecta: ingrediamur ipsum palatium, non ex auro, ebore, & electro, sed è nobiliori materiâ ædificatum: inferamus pedem in illam Civitatem, de quâ Propheta loquitur: (b) *Gloriosa*

(a) *Cœli venustas, ornatus, elegantia.* b) *Psal.* 86.3.

hæc eſt Civitas immortalium civium, Principum, & filiorum Dei; qui unâ cum Angelis politiâ, ſingulari voluntate, amore invicto, & inflammato, Dei legibus perfectè ſeſe ſubmittunt. Hæc Civitas, eſt patria noſtra; illic ampliſſima ſunt fundamenta, altiſſimi muri, plateæ prolixiſſimæ, quæ gemmato pavimento, teſſelato emblemate, electo lapide undique collucent. Miratur poſteritas opus illud prodigioſum Dionyſiii, qui cùm magnis, multiſque præliis Indiam ſibi ſubjugaſſet; poſteà in trophæum, templum ſibi conſtruxit adeò magnificum, ut in eo 365. gradus, quaſi ex ſaphiro purpureo continerentur, teſte Epiphanio. (a) Hoc Templum collatum cum immenſo illo Cœli palatio, minus eſt, quàm doliolum Diogenis, collatum cum toto hoc mundo. Sed fruſtrà conamur explicare inexplicabi-

(a) *L. 12. de gemmis c. 5.*

cabilem loci illius amplitudinem, & magnificentiam, multò minùs inæstimabiles, quæ illic recōditæ latent, divitias, & delitias. Non possunt eas, neque Arithmetici calculis numerare, neque Geometræ calamo metiri, neque Oratores, neque Dialectici, neque Grammatici Oratione explicare. Sed quia hîc potissimum agimus de loci duntaxat pulchritudine, ac splendore: quantus is sit, vel hinc licet arguere. Proponamus nobis finem, cur Deus cœlum procreavit; ob quam causam? quid per hoc intendit? Non aliam ob causam, cœlum condidit, quàm ut quāta sit ejus Potentia, Sapientia, Bonitas, Majestas, Magnificentia; omnibus, & Angelis, & hominibus, totique rerum universitati, palàm non tantùm ostenderet, sed ostentaret. Quod si igitur voluerit Deus opus illud condere; ut in eo, velut in clarissimo theatro Potentiam

ſuam manifeſtaret, vos & jam concipite, quanta illa ſit? Tanta eſt illa; ut quemadmodum hunc mundum unico pollentis voluntatis nutu fabricatus eſt: ita infinitos, ut ſic loquar, eodem nutu, verbo uno & procreare, & procreatos poſſit in nihilum redigere. Dein quidquid facit, nullo conatu, & labore facit; eâdem facilitate, quâ producit arenam, poteſt producere cœlum: non plus laborat Deus, ut producat Seraphinum, quàm formicam; Angelum, quàm muſcam: non plus laboravit Deus, cùm produxit omnium Angelorum primatem Luciferum, quàm infimum terræ vermiculum. Neque ſub operis majori pondere gemit, & ſudat; nec minori relevatur, & reſpirat: omnia, quæ vult, poteſt; facitque, quidquid vult, ſolo arbitrio, & voluntate. Nunc ergò hoc modo nobiſcum ratiocinemur: tanta eſt Dei

Po-

Potentia, quantam jam ostendi, tantaque ejus gloria: quale erit illud opus, quo volvis illam, & potentiam, & gloriam manifestare? Quid enim deerit, quò minus ex omni parte sit absolutum? Non artificis manus, aut industria; potentiæ est immensæ: non prudentia; scientiæ est infinitæ: non voluntas; summe bonus est: non opes, aut divitiæ: ab illo uno, omnes illæ procedunt. Quale opus, ex illâ officinâ prodibit! ubi sunt tales architecti, Omnipotentia Patris, Sapientia Filii, Bonitas Spiritus Sancti? ubi bonitas vult, & imperat; sapientia ordinat, & disponit? Omnipotentia potest; quidquid vult immensa Bonitas, & concipit ac ordinat infinita Sapientia. Verè ergò de illâ immensâ Civitate dixit David: *Gloriosa dicta sunt de te, &c.* Et D. Prosper: (a) *Illa Civitas, quæ est Sanctorum,* *An-*

(a) *L.4. de vita contemplativa.*

Angelorum, omniumque Electorum congregatione beata, meritis fulgentibus micat, ubi æterna salus exuberat, veritas regnat; ubi nec fallit quispiam, nec fallitur: undè nullus beatus ejicitur; ubi nullus miser admittitur. Est ibi certa securitas, secura tranquillitas, felix æternitas, æterna felicitas. Est ibi amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, & onus omnium spiritus. De immensâ quoque felicitate incolentium illam Civitatem, suaviter more suo D. Bernardus: (a) *Videbit Beatus Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad jucunditatem. In æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habebit permanendi æternitatem; sic cognoscendi facilitatem, requiescendi felicitatem.* Sed quod felicissimam reddit illam, de quâ loquimur, Dei Civitatem, est jugis illa, ac perennis pax, de quâ lo-

(a) *De proem. cœlest. patriæ.*

loquitur David, agens de cœlesti Jerusalem: (a) *Qui posuit fines tuos, pacem.* Quis fando explicet, quanta erit gestientis Animæ jam beatæ lætitia; dum ingressa jam illam Civitatem, cujus *fines*, Deus *posuit pacem*, Deo jam unita, & in centro suo collocata, dicet cum Davide: (b) *In pace, in idipsum dormiam, & requiescam.* Vocat S. Propheta, *pacem, in idipsum*: id est, immutabilem, ut vult Cassiodorus, pacem eodem modo semper se habentem, pacem nunquam interruptam, duraturam in omnem æternitatem. Tum pax erit æterna, & imperturbabilis quies, cùm ad centrũ omnis boni dabitur introitus, & exuti mortalitatis exuviis, arctè cum principio nostro conjungemur. Hujusmodi plenissimam pacem frustrà in mundo, atque in hujus vitæ curriculo exspectes, supra cœ-

(a) *Psal.* 137.14. (b) *Psal.* 4.

los omnes tutum ſibi, nec mutationibus obnoxium, domicilium conſecuta eſt. Totus hic mundus, ut è contrariis qualitatibus eſt compoſitus, & compactus; ſic turbulentæ perturbationis materiam continuo ſuggerit, quâ mortalium vita propè obruitur. Quot tamen ſunt, qui malunt incolere hanc luteam caſam, quàm cœleſtem Aulam? Tune illum ſapere contendes, qui cùm univerſam domum, optimâ inſtructam ſuppellectile; horrea frugibus completa; generoſos in ſtabulis equos, armenta, greges, in prædam Vulcano cedere, flammiſque conſumi, ſiccis oculis ſpectaſſet: ut primum clauſa vili caveâ rediit in memoriam philomela, etiam igne ſublata, cantu ſuo herum oblectare ſolita; tum demum illachrymari cœpit, & aviculæ jacturam deplorare. Inſipientem dubio procul pronuntiabis. Nam etſi aures ob-
lectet

lectet suavis philomelæ cantus; magnarum tamen opum possessionem, quis non pluris æstimet? sed omnes propè eandem insaniunt insaniam. Eadem multi sunt mentis hebitudine, quâ Honorium fuisse narrant: Hic post longam urbis obsidionem: cùm intraret quidam, qui illi nuntiaret periisse Romam, jam ab hoste occupatam; aversâ cogitatione à tantâ Reginæ urbium clade, ingemuit morti unius caniculæ, quam Romam appellabat, & mortuam credebat annuntiari. Ridebat ad jacturam potentissimæ urbis: gemebat ad mortem abjectissimæ canis. Sic plurimi ejulant, suspirant, mœrent, copiosissimè lachrymantur; dum illis eripitur aurum, comburitur tuguriolum, aufertur pallium: verbo ut clarius dicam, dum privãtur cæno; exultant, gestiunt, epulantur, tripudiant, dum privantur cœlo.

(a) Videntur non pauci malè feriati insanire non tantùm cum Honorio, sed cum Gallieno. Hic enim turpissimum omnis luxuriæ mancipium, cùm Romanum teneret Imperium, ita libidini serviebat, ut cætera omnia posthaberet. *Cùm enim* (ait Trebellius Pollio) *ei nuntiatum esset, Ægyptum descivisse: dixisse fertur. Quid? sine lino Ægyptio esse non possumus? Cùm autem vastatam Asiam, & elementorum concussionibus, & Schytarum incursionibus comperisset. Quid,* inquit, *sine Apphronitis esse non possumus? Perditâ totâ Galliâ, arrisisse, ac dixisse prohibetur: Non sine trabeatis sagis tuta Respublica est?* Heu multos, hæc ætas habet Gallienos; eoque etiam turpiores, quò terrâ, cœlum præstantius est. Unus hic opes; ille delitias, alius dignitates, aut aliud pro libidine, & præterea nil cogitat. Oble-

ctat

(a) *Fisoa paradoxum fol.* 68.

ctat hoc unicum; fastdio cætera sunt: & offendis, si de vitâ quondam in cœlis agendâ; vel de via, quâ illuc tenditur, vel verbulum. Una propè omnium vox est: *Cœlum, cœli Domino; terram autem dedit filiis hominum.* Malunt luteum in terris gurgustiolum, quàm auratum in cœlis palatium. Digni, vel ideò æternum cœlis excludi; quia ipsi omnem de coelo cogitationem animo excludunt. Præcedat nostrum ad cœlum desiderium, antequam eo inferatur anima: ad illud Regnum prius avidi anhelemus, quàm beati intremus: ut illud, quod tantâ cupiditate desideramus, totâ æternitate possideamus.

* * *
* *

CAPUT IV.

Homo novus, dum suspicit dotes gloriosi corporis, despicit suum corpus.

(a] HActenus Cœli Empyrei amœnitatẽ, magnitudinem, splendorem fuimus contemplati; superest modò, ut ad ipsos cœlites, qui locum illum æternum incolent, sermonem convertamus. Sumemus exordium à corpore Beatorũ: deindè gradum faciemus ad Animam. Quemadmodum ex duabus partibus conflatus est homo: alter, quâ nihil humilius corpore; altera, quâ nil dignius Animâ? ita utraque gloriam in cœlo, gaudiumque suum participabit. Sed quid commercii fœtidæ, & putidæ carni, & in stercoribus desideriorum suorum cõputrescenti, cùm sanctuario cœ-

(a) *Quatuor dotes corporis* lorum

lorum? Caro, quæ in ſtabulo palo alligari debebat; ecce quomodò inter Angelos Dei invenitur? ſine, O Domine, pulverem in pulvere; non enim decet ſanctuarium tuum, terram ſuper cœlos elevari. Sed qui dixit:(a) *Benedicam Iſmaeli; augebo, & multiplicabo eum valdè; etiamſi filius ancillæ ſit*; Idem quoque volet oſtendere benevolentiam, & favorem ſuum erga corpora Sanctorum, propter communionem quam habent cum Animabus. Voluit enim, ut quæ jugum pariter cum Animabus portârunt; gloriam quoque, & felicitatem participent. Hoc eſt, quod innuit per Prophetam:(b) *Duplicia poſſidebũt in terrâ ſuâ*; gloriam ſcilicet corporis, & Animæ. Ibi enim denarius dabitur mercenario; ſtipendium militi; torques victori; bravium comprenhenſori; amico dona: hæreditas filio; ſponſo

(a) *Gen.*17.20.(b)*Pſal.*61.7.

nuptialia. Hæc inter erunt quatuor corporis dotes; claritas, impassibilitas, agilitas, subtilitas. Ordiamur à primâ. Hîc observandum, ut dotem illam probè intelligamus; duplici sensu aliquid dici clarum; vel quia pervium est: ita vitrum dicitur clarum, & aqua; aut quia lucidum: sic stella dicitur clara. Corpora Beatorum utroque modo erunt clara, id est, pervia, & lucida. Pervia; sicut ait Gregorius: *Beatorũ civium corpora sibi invicem, & claritate fulgent, & puritate translucent; ita quod uniuscujusque mentem ab alterius oculis, membrorum corpulentia non abscondet; sed patebit omnium oculis, ipsa etiam corporis harmonia. Sicque unusquisq; erit conspicabilis alteri; sicut nunc non potest esse conspicabilis sibi ipsi*: sic ipse. Itaque præterquam quod exterior pulchritudo corporis rara, & eximia futura sit; ipsa interior, multis hanc partibus

tibus ſuperabit, utque ab omnibus conſpiciatur, corpus erit diaphanum; ſit ut nulla ſit futura in corpore vena, nervus, arteria, cartilago, tendo, fibra nulla: cujus pulchritudo, & ſymmetria ſingulorum oculis non ſit futura conſpicua, & ſpectabilis. Secundò, erunt non tantum pervia, ſed lucida, & clara. Patet id clariſſimè è verbis Christi: (a) *Fulgebunt Juſti, ſicut Sol in regno Patris mei.* Illa autem claritas ab Animæ gloriâ promanabit, quæ in corpus ipſum redundabit; adeò ut ipſum lucidum, ſplendidum, & rutilans redditurum ſit. Ecquid erit illud gaudium, tot ſoles uno in loco collectos intueri? ſi enim vel unicus Sol, tãto intervallo à terrâ remotus, & nunquam quieſcens, tantoperè hominum & recreet oculos, & exhilaret animos, dum ſplendorẽ emittit; quantum Deus bone,

 gau-

(a) *Marc*, 13.

gaudium erit, millenos, & decies millenos Soles, oculis vicinos contueri! Tanta erit hæc corporum Glorioſorum claritas, ut quidam Theologi dicere non ſint veriti; unius tantum corporis Glorioſi ſplendore, ſi de cœlis in terram deſcenderet, Solem, & ſtellas offuſcandas, lumenque amiſſuras. Hæc claritas erit veluti veſtis toti corpori: ſed veſtis, quam nec Seres texunt, nec Tirii inficiunt: veſtis, quovis auro intexto, & bombycino elaborato elegantior. Si corporis glorioſi oculis veſtris, vel tenuis aſpectus occurreret: mihi credite, tantam amoris flammam illa pulchritudo excitaret, ut nil aliud, vel agere, vel ſpectare liberet, toti præ gaudio, & ſtupore in eo ſpectaculo defixi teneremini? Una eſſet omnium vox, quæ Petri in monte Thabor: *Bonum eſt nos hîc eſſe.* Secunda dos, eſt immortalis impaſ-

passibilitas, vel impassibilis immortalitas. Itaque corpus gloriosum erit immune ab omni malo quantum ad actum, & & quantùm ad potentiam. Quantùm ad actum; quia nulla corruptio, nulla deformitas, nulla infirmitas, debilitas, vel defectus remanebit in eis. Quantùm ad potentiam; quia non poterunt aliquid pati, quod sit eis molestum, vel quod in minimo eos possit lædere. Nam fortior non patitur ab imbeciliori. Jam verò nulla Sanctorum corporibus fortiora, aut violentiora reperire est: ergò nec minimum quid patientur. De horum autem robore, hoc Apostoli ad Corinthios habemus testimonium: *Sanabitur in corruptione; resurget in incorruptione.* (a) Item illud B. Anselmi, qui ait; *Sanctos in cœlo robore Hercules, & Sampsones superaturos*; (b) tantumq; eorum robur & virtu-

(a) 1. *Cor.* 15. (b) *de simil.*

virtutem fore; ut horum minimus, universam hanc mundi machinam concutere, & instar pilæ, loco movere posset. Gloriabatur olim Archimedes se, si pedem extra mundi limites ponere posset; altero terram, quasi globum propulsaturum. Inanis hæc quædam præsumptio fuit: in Sanctis tamen hoc locum habet, quibus vasta hæc orbis machina instar pilæ sit. Cùm igitur tanta Sanctorum corporum vis sit & potentia; quid illis nocere queat? si nil illis nocere potest: ergò impossibilia sunt. (a) *Itaque non amplius esurient, neque sitient; neque cadet super eos Sol, nec ullus æstus.* Et rursus: *Non erit luctus, neque clamor; sed nec ullus dolor, quia priora transiêrunt.* Imò mediis in flammis non ardebunt; in aquis non mergentur; nulla machæra Carnificis poterit illis caput tollere: nulla manus Tyranni poterit vel pilum capiti eripe-

(a) *Apoc.* 6. (b) *Cap.* 7. re:

re: Nullam amplius habet potestatem in pedes podagra, in manus chiragra, in pectus asthma, in ventrem cholica: · Vigor corporis nullo unquam morbo marcescet; sanitas erit integra, & perfecta; pulchritudo semper florida, & vivida, nulli corruptioni obnoxia. Præter impassibilitatem hanc, & ab omni mutatione exemptionem, pollebunt corpora subtilitate quâdam incredibili; cujus ope, & adminiculo, quocunque locorum ingredientur, & egredientur; quin & januas violenter, sine ullâ tamen vi, perfringent, muros penetrabunt, cœlos pertransibunt, nulloque impediente instar spirituum, radiorumque solarium, vitreas fenestras perradiantium, per omnia sese ingerent. Patet id ex verbis Pauli: *Seminatur corpus animale; surget corpus spiritale*; quia à spiritibus & Angelis, quo ad subtilitatem nil differet.

Ultima dos est, quæ communi nomine agilitas appellatur: per quam tantâ in corpus Anima potestate donabitur, ut illud ab uno loco, in alium movere; imò uno momento è cœlo, in terram descendere; ab uno mundi cardine discurrere in alterum possint sine ullâ defatigatione, aut labore. Elici hoc è verbis D. Pauli potest: *Seminantur in infirmitate: surgent in virtute:* Et ratio planè convincit, fore hujusmodi corpora; Nam tarditas, & mora inimica sunt spiritui; atque gloriosa corpora, quasi spiritus erunt: ac ideò agilia, & levia. Pluribus, hæc celeritas è sacræ scripturæ locis adstrui potest; quæ Animarum motum rebus levissimis, & moveri facillimis comparat. Sapiens eam scintillis comparat: (a) *Sicut scintillæ in arundineto discurrent.* (b) Ezechiel, fulguri; idq; in ænigmate rotæ,

(a) *Sap.* 3. (b) *Ezech.* 1.

tæ, quæ à ſpiritu impellitur: *Ibant, & revertebantur inſtar fulguris.* Iſaias, avibus, per aëra volantibus: a) *Aſſument pennas, ſicut aquilæ; current, & non laborabunt; volabunt, & non deficient.* O delitias incredibiles! ignem celeritate, aves velocitate, fulminis alas levitate antevertere. At ne hoc vobis incredibile videatur; ſimilitudine quâdam notius faciam: ſi enim Curſores illi cœleſtes, quos Ariſtoteles intelligentias, nos ſanctiori nomine Angelos appellamus: ad planetarum, orbiumque cœleſtium motum, directionemque deſtinati, viginti quatuor horarum ſpatio totum orbem obambulent; adeò ut ſingulis horis, viginti ſex paſſuum millia conficiant; an non credemus glorioſas illas animas, naturales illas, & interternas corporum ſuorum motrices, celeriorem adhuc ipſis motum impreſſuras? Ab uno, ſcilicet, polo, in

(a) *Iſa. 4.*

in alterum, eadem transferendo; unicoque momento ab uno mundi cardine, in alium devehendo? Angelus, qui Abacuc Prophetam in Babylonem (a) è Judæâ, quæ quingentorum passuum millibus à se invicem distabant, cæsarie apprehensum, unico momento transvexit, hujusce meæ sentẽtiæ testis, & suffragator erit. Si enim hoc ipse in alterius corpore; quid non Animam in proprium, facturam credendum est? si in corpore adhuc mortali, spisso, crasso, patibili, hoc ille potuit; quid porrò hæc Angelis par in gloriâ, in proptio, & quidem glorioso, beato, spirituali, Divino, faciet? Longius adhuc procedit Augustinus, ait namque tantam horũ corporum agilitatem fore; ut ipsum Animæ velle, & cogitationem quodammodò præventura sit: (b) *Ubi volet spiritus; ibi erit & corpus.*
At

[a] *Dan.* 14. [b) *L.* 22. *de Civit.*

At tamen celeres ſpiritus, & Animæ motus ſunt; ut unico inſtanti, & deſiderio cœlum adeat, & Inferos; cogitatione Antipodes; ſpe quoque & ambitione ad columnas uſque Herculeas pertingat; & ubique locorum imaginando peregrinetur. Cùm igitur corpus, eâdem quâ ſpiritus celeritate, movendum ſit; ut Auguſtinus ſenſit: credere profectò oportet, magnam ejus celeritatem, & agilitatem fore. Hæc erunt illa exquiſita Beatorum decora, quibus corpus donabitur. Quis hæc animo volvens, corpus ſuum volet impudicitiâ contaminare? quis ei lenocinabitur indulgendo? Quis non viriliter omnia carnis blandimenta reſpuat, ſi cogitet idẽ aliquando ad tantam gloriam evehendum? ut loco putredinis, claritas; loco cinerum, gemmæ; loco ægritudinum, ſanitas; loco breviſſimi temporis, æternitas; loco tenebrarum,

tum, ſplendor; loço calamitatum & ærumnarum, felicitas, & gloria, veraque beatitudo ſucceſſura ſint? O beata conditio! quæ adumbrari quidem, non plenè exprimi, aut repræſentari aliquâ, quæ in terris habetur, excellentiâ poſſit! O nimia filiorum Adam, & filiarum Evæ cæcitas! qui ad rerum periturarum comparationem, acquiſitionemque, ad botrum uvarum, honoris cujuſdam perfectionem, mulieris venuſtatem, domorum magnitudinem, commodorum deſideriū, urbium opulentiam, Provinciarum ubertatem animantur: adeò verò negligentes, tepidi, atque inertes ſunt, ut inclytas illas, de quibus diſſeruimus, corporis dotes acquirant. Hirundines, ajunt, nidum ſuum nunquam ponere in pariete caduco, aut domo ruinam minitante; & homines tam ſtolidi ſunt, ut ibi & nidum, & quietem ſuam collocent,

cent,

cent, ubi cernunt omnia labefactanda, & repentino casu dejicienda, ut amatores suos opprimant, & involvant? Quàm longè aliter facerent, si fabricam illam corporis sui, tot dotibus honestandã, solidis virtutibus firmarent. Nemo, ut plumbum possideat, aurum perdit. Nemo mavult arundine niti, quàm scipione eburneo. Nemo carbones eligit, & thesaurum contemnit. Nemo potius umbram captat, quam prædam. Nemo optàt magis venari ventos, quã cervos. Nemo Regiam, marmoreamque domum negligit, ut possit habere casam, puerili ludo ex arenis ædificatam. Deniq; nemo pluris æstimat stillam, quam fontem; guttam, quàm fluvium; granum, quàm acervum; punctum, quàm circulum. Et nos plumbeas has voluptates aureis illis deliciis; umbras has vanissimorum honorum, illis veris titulis, ventos istos, casas has, istas are-

arenas, ſtillas, guttas, grana, puncta, certis illis, æternisque gaudiis, quæ ex corporis ſolius beatitudine, hauriemus, anteferemus? O, ſi & vana iſta, & vera illa; iſta fluxa, illa æterna ſeriò perpenderemus! perſpicuè profectò cerneremus, quam exigui momenti ſint omnia, quæ in terris tam ambitiosè amamus: imò quàm prorſus nihili facienda, ſi cum cœlo, rebuſque ſempiternis comparentur. Quippe, quidquid fluxum eſt, tranſit; quidquid autem tranſit, poſtquam tranſiit, perindè eſt, ac ſi nunquã extitiſſet. Idem enim reſtat poſt finẽ, quod fuit ante initium; ãte initiũ nondum erat; poſt finẽ non amplius erit: Nil ergò erit. Eat igitur aliquis cum Salomone, & dicat: (a) *Vadam & affluam deliciis, & fruar bonis.* Mox alteram ejus cantionem uſurpabit, dicens: *Et vidi; quod hoc quoque eſſet vanitas.* Quare, etiamſi quis omnibus mundi voluptatibus

(a) *Eccl. 2.1.*

per-

perfundatur; & si cum Sardanapalo, in delitiis natet; cum Cleopatrâ, in rosis & gemmis cœnet, etsi omnibus titulis salutetur; omnibus honoribus afficiatur; omni gloriâ colatur: omnium vocibus, & sermonibus celebretur; supra omne Imperium, & solium evehatur, idque longo tempore, plurimisque annis: si tamẽ postea vel casu, vel fraude, aut violentiâ hostium, vel ipsâ morte cogatur hæc omnia deserere; nil supererit ex omnibus, quod eum delectet, aut quod sit loco emolumenti. Quæ cogitatio, Bononiæ, in primis ferè Dominicani Ordinis initiis, Virum magnum, clarumque doctrinâ mirè perculit. (a) Cùm enim Reginaldus, unus ex præcipuis illius familiæ, magno hominum concursu, & approbatione, Verbum Dei prædicaret; Monetus (sic enim ipse appellabatur) de industriâ illius congressum, & sermonem fugere con-

(a) *Platus l.3.c.38.*

confueverat, multum ſibi ab eo metuens, tamen in Stephani Martyris natali, ad ejus concionem, comitum importunitate pertactus, primis ſtatim verbis captus eſt, cùm illam vocem exponeret: *Ecce video cœlos apertos.* Ita enim diſſerebat: nunc quidē cœli portas ad beatitudinem patere, ita ut quivis ingredi poſſet; qui autem negligentes eſſent, & Deo cor ſuum clauderent, iis vicisſim cælos claudi, ut deinde intrare nō poſſint, nec pluribus opus fuit: ſtatim enim corde immutato, qui ad eam horam tam alienus fuerat à Religione, Religionis voluntatem concepit: finitâ concione Reginaldum adiit, animum ſuum expoſuit, eumq; voti etiam vinculo confirmavit. Ecce, quiſquis hæc legis, & ipſe nunc dicere cum Protomartyre potes: *Ecce video cœlos.* Video non oculis illis crasſioribus corporis, ſed acutiorib⁹ mentis: fide, quæ infuſa eſt in fonte Baptiſmatis; *video cœlos apertos.* Cuilibet

libet jam cœlum patet; nullus, dum ſpirat, ſpe intrandi excluditur. Contendite omnes intrare, antequam claudatur. Non intratur in Regnum gloriæ, niſi per januam pœnitentiæ. Non tenditur ad illud Regnum per viam latam ſuperbiæ, luxuriæ, invidiæ, ſocordiæ; (a) ſed per anguſtã Humilitatis, Paupertatis, Pudicitiæ. Feſtinate, quoniã tempus breve eſt. Erit, quando cælũ, quod nunc tibi patet, claudetur, niſi feſtines intrare, dum patet: audies, quod fatuæ illæ virgines: *Clauſa eſt janua.* Tunc dices, non ut Stephanus: *Ecce, video cælos apertos*; ſed; Ecce video cælos clauſos. Primo momento, quo mors tibi claudit oculos, ſi Dei fueris inimicus, clauditur tibi cælum: fruſtra tunc ex averni antro pulſabis ſuſpiriis, gemitibus, ejulatibus ad fores cæli: audies triſte illud; *Clauſa eſt janua.* Pulſa iterũ poſt mille annorum myriades, poſt infinita

(a) *Matt. 25.*

ſæculo-

ſæculorum curicula; iterum audies: *Clauſa eſt janua.* Claudo & ego cum D. Bernardo: (a) *Quid ergo iſtud eſt negligentiæ? quid pigritiæ? imò, quid vecordiæ eſt, ut non crebris ſuſpiriis & ferventiſſimâ affectione abrumpere hinc, & in illa tam felicia agmina jaculari animos ſtudeamus?*

CAPUT V.

Homo novus, dum convertit oculos, ut videat Beatorum oculorum voluptatem, avertit oculos, ne videat vanitatem.

EXpoſuimus partem beatitudinis, quæ ex animâ redundat in corpus; dum quatuor ejus dotes exquiſitisſimas, quibus pollebit, explicavimus: nunc de gaudiis, quibus quinque ſenſus redundabunt, diſſeremus. Ab oculis ducemus principium, quia inter ſenſus tenent prin-

(a) *Serm. 5. de omnib. his.*

cipa-

cipatum. Tantæ erunt perfectionis oculi, ut nihil eorum organum vel in minimo posſit perturbare. Hæ porrò, erunt viſus perfectionis. (a) Primò, Corpora omnia videndo penetrabit Beatus quilibet, ſeque etiam interius æquè facilè, atque exterius uſque ad ipſam totius corporis harmoniam, perſpiciet. Secundò, eâdem facilitate videbit remotisſima quæque ac proxima; minima uti maxima; ſe ipſum ſicut cætera. Tertiò, eodem corporis ſitu permanente, æque videbit retrò, quam ante ſe; non vertendo ſe, vel ſemel movendo: imo videbit, quæ ſunt ſupra ſe, non levando oculos; quæ ſunt infra, non declinando eos. Quartò, videbit diverſa objecta, & quaſi infinitos radios, tanquam unum, vel quaſi unitos. Et quod eſt præ omnibus admirandum, æquè videbit oculis clauſis, atque apertis.

(a) *Buſto ſerm. T. 2. 503.*

Si enim oculi Beatorum visuri sunt ultra densissimos parietes, aheneos muros, & vastissimos montes; omnia corpora quantumvis densa, & opaca penetraturi; multò minus palpebræ, seu membrana illa tenuis, quæ oculis oppanditur, quæ etiam ipsa gloria donabitur, impediet oculos, quo minus omnia videat. Hæc de facilitate, & modo, quo videbit; jam objecta ipsa, in quæ videndo tendet, & tendendo delectabitur in lucem proferamus. In primis, supra modum oculos oblectabit incredibilis ille ornatus, splendissima illa magnificentia loci, quem incolunt, nimirum, ipsum Cœlum Empyreũ. Itaque, ut jam compendio perstringamus omnia objecta, quibus oculi delectabuntur; Videbit Beatus oculis corporis fluvium illum vitæ electro puriorem, atque instar crystalli pellucidum; gyros pulcherrimos, ac mænandros in va-

ſtâ illâ cœlorum planitie facientem, fonteſque hinc inde ſalientes. Videbit totum orbem inferiorem; nam licet convexum ſui cæli Empyrei, quod calcat ingentis, ac propè immenſæ ſit ſpisſitudinis, & ſolidiſſimũ, eſt tamẽ ſummè transparens. Videbit totam terrã, & omnia, quæ in eâ geruntur, cognoſcet, præter cogitationes hominum liberas. Videbit Infernum, omneſque damnatos; denique totius terræ ſinum, & à centro emergens, videbit Antipodes, & quidquid in altero Hemiſpherio, uſque ad Empyreum inferior orbis continet. Sed quale concipient gaudium ex aſpectu propè innumerabilium Angelorum? Eſt admodum veroſimile, Angelos aſſumpturos corpora ſpecioſisſima ex aëre, quibus paſcant oculos Beatorum; ut ab iis videri, & cum iis colloqui posſint: quæ ſententia eſt D. Anſelmi in ſuo Elucidario, & aliorum. Jam

vel unius Angeli pulchritudo superat omnem omnium hominum, qui unquam fuerunt, vel erunt pulchritudines simul conflatas. Sed ex re aliâ nullâ, plus gaudii & voluptatis percipient, quàm ex gloriosissimo, & ter adorando Christi Corpore. In illud omnium oculi, atque ora potissimum convertentur. (a) Et si verum est, quod quidã existimant; Crucem Christi Domini in cœlis totâ æternitate conservandam; imò, ut aliis placet; omnia signa Passionis Christi Domini; quantum Divina illa spectacula, & præclarissima Redemptionis nostræ instrumenta, oculos omnium recreabunt! sed quid volo, dicendo prosequi, oblectamenta oculorum, quæ oculus non vidit? O verè. (b) *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis!* Quis, ut illa aliquando videat, quæ hîc à Beatis viden-

(a) *Fabri T.* 3.773. (b) *Luc.* 10. 23.

videnda proposuimus, nolit quævis hîc & facere, & pati? plenæ sunt gentium historiæ admirandis in omni malorum tolerantiâ pro honore, pro aurâ populari, pro auro, pro impudicis amoribus. Igitur, (ut optimè argumentatur Tertullianus) (a) *Si tanti vitrum; quanti verum margaritum. Quis non libentissimè tantùm pro vero habeat erogare, quantum alii pro falso? Confundemur, si reformidaverimus pati pro veritate in salutem, quæ alii affectaverunt pro vanitate in perditionem.* Scilicet lutei, & sordidi, lutum, & cœnum; cœlo, & Deo præferimus. Egregiè ad rem nostram Augustinus: (b) *Secari & uri se sinunt homines; ut dolores non æterni, sed aliquanto diuturnioris ulceris, acriorum dolorum pretio redimantur. Immanissimis bellis miles atteritur; pluribus fortasse annis in laboribus inquietus; quàm in otio quietus.*

(a) *L. ad Martyr.* (b) *Tom. 10. ser. 9.*

quietus. Quibus tempestatibus, & procellis, quàm horribili, & tremendâ sævitiâ cæli & maris, impleti sunt mercatores, ut divitias ventosas, & perituras acquirant, maioribus quàm, quibus acquisitæ sunt periculis, & tempestatibus plenas? Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, à fossis, & præcipitiis, à fluminibus, & à feris perferunt Venatores? Quem laborem esuriendi, & sitiendi, ut feram capiant? Quantis, & jam in scholis vigiliarum, & abstinentiæ molestiis exercentur; non propter discendam sapientiam sed propter opes, honoresque vanitatis: qui hæc amant, non gravia pati videntur; omnia enim sæva & immania prorsus, facilia, & propè nulla facit amor. Quantò ergò facilius, ac certius ad veram beatitudinem Charitas facit, quod ad miseriam cupiditas fecit? Quàm facilè toleratur quævis adversitas temporalis; ut æterna pœna vitetur, ut æterna requies compa-

comparetur: Hæc Augustinus. Certum id est, non tantùm laboris à nobis exigere Deum pro cœlo, quantũ dæmon pro orco. Plus citra comparationẽ laborant impii, ut pereant, & salute excidant, quàm Justi, ut salutem consequantur. Reperiuntur, qui plus operæ impendunt, ut excolãt suum fundum, agrum, hortum, quàm ut obtineant cœlum. Imò sunt, qui ita immersi sunt hisce fluxis, ac caducis rebus; ut parati sint cedere omni jure, quod habent ad cœlum, si modò velit Deus illis pertuò indulgere usuram rerum perituram. Talis repertus est nostro sæculo in Italiâ nobilis quidam, qui juxta Florentiam hortum habebat suburbanum, perquam amænum, tàm fœcundum fructibus, quam jucundum floribus; diceres Floram ipsam, illic sedem collocasse. Eò Nobilis hic animi relaxãdi causâ, fessus curarum, ex urbe, tanquam è flucti-

bus ad portum sese conferebat. Hic cùm die quodam cum uno è Patribus nostris per virentes horti ridentis semitas lætus, & alacer obambularet: Pater, ex loci amœnitate mentionem injecit cœlestis Paradisi, (a) cùmque ei conaretur suadere, illum locum citra ullam comparationem esse & jucundiorem oculis, & gratiorem animis, plusque delitiarum uno momento, quàm pluribus sæculis ex horto suo, illic eum percepturum. Itane verò, inquit alter, siccine de cœlesti paradiso sentis? cœcæ hæ sunt tuæ conjecturæ: cœcus de coloribus judicas, dum hæc de cœlo pronuntias. Quod ad me attinet, si Deus pro mercede omnium bonorum operum, quæ unquam præstiti, vel præstabo olim, velit mihi totâ æternitate indulgere hunc meum, quo fruor, hortum; næ ego libens concederem ipsi suum cœlum,

(a) *Le petit Miror sans flater* 23.

lum, & renuntiarem omnibus cœli delitiis. Has blaſphemas, & incæſto ore prolatas voces, Pater acriter reprehendit, eumque impietatis in loquendo inſimulavit. Sed non tardus fuit in vindicando Deus. Nam cùm paulò poſt ex horto ad palatiũ ſe conferret; ecce tibi è ponte, ubi tranſibat, præceps corruit; fractaq; cervice, miſerè expiravit, ſine ullo animi dolentis argumento. Ita miſer, & hortum amiſit, nec cœlum acquiſivit. O curvas in terram animas, & cœleſtium inanes! Rem acu tetigit, dum hæc verba protulit D. Gregorius: (a) *Omnes, ait, hujus ſæculi dilectores, in terrenis rebus fortes ſunt, in cœleſtibus autem debiles: nam pro temporali gloria deſudare uſque ad mortem appetunt, & pro perpetuâ, nec parum quidem in labore ſubſiſtunt: pro terrenis lucris, quaslibet tolerant injurias; & pro cæleſti mercede vel tenuiſ-*

(a) *Diſt. c. omnes.*

nuissimi verbi contumelias ferre recusant. Terreno judici, toto etiam die assistere, fortes sunt: in oratione verò coram Domino, vel unius horæ momento lassantur. Sæpè nuditatem, dejectionem, famemque pro acquirendis divitiis, atque honoribus tolerant: superna autē laboriosè tantò magis quærere dissimulant, quantò ea tribui tardius putant. Hæc ille. Contra verò, qui oculos defigunt in cælum; terrena ad tempus negligunt possidere, ut valeant cælestibus sine fine gaudere: non curant hîc omnibus tormentis affici, ut possint ibi Divinâ visione refici. Omnia patienter tolerant, quia cælum impatienter desiderant. Homo igitur patiatur, ut tali gloriâ potiatur: ferat, ut ad illam se conferat: subeat tormenta, ut transeat ad oblectamenta. Unde Augustinus ad unumquemque nostrum. (a) *Tolera, quod non vis, ut assequaris, quod vis.* Satius enim est hîc mo-

(a) *In psal.79.*

dicâ

dicâ miseriâ emere æternam felicitatem; quàm modicâ felicitate, voluptate præsenti emere æternam miseriam.

CAPUT VI.

Homo novus, dum reliquas cogitat Beatorum voluptates ex reliquis sensibus, censet se fuisse hactenus insensatum.

DE oculis, sive de sensu visus, abundè dictum est in priore capite. Expediamus reliquorum sensuum singulares, quibus perfundentur voluptates. Trahit me in odorem unguentorum suorum cælestis paradisus, quē indubiè exhalabunt, in illis Elisiis hortis, lilia, rosæ, violæ, narcisci. Itaque, quod attinet ad olfactum, perfundetur absque dubio fragrantissimis odoribus, quos corpora Beatorum suavissimè spirabunt; ac præsertim sacratissimæ

tisſimæ humanitatis Chriſti, & Beatæ Virginis; utpotè, quæ in ipſo ſuo in cœlum aſcenſu, ambroſiâ ſuaviſſimi odoris complevit totum cœlum: undè ſtupefacti cœleſtes genii tantâ odoris perfuſi fragrantiâ clamabant: (a) *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii?* Quod ſi corpora ſanctorum in ſepulchris inventa, ſummam exhalaverint odoris ſuavitatem, nondum glorificata vel immutata; qualem odorem effundent, excocta jam ſolis increati ardore, omni putredine? ſi tantum corpora; quantum animæ ex ſe effundent odorem? (b) Meritò de iis dictum eſt ab Oſeâ: *Sancti tui, Domine, florebunt ut lilium; & ſicut odor balſami erunt ante te.* Si tam gratus fuſus ſit odor Beatorum; qualis erit ipſius Chriſti? qui de ſe ipſo dicit:

(a) *Cant.* 3. (b) *C.* 14.

cit: (a) *Sicut cinamomum, & balsamum aromatizans, odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.* Similiter & gustus erit plenus incredibili sapore, & dulcedine, & satietate quadam, & refectione cælesti oblectabitur: idque ob qualitatem quandam inhærentem, quæ non selectissimorum modò ciborum; sed & omnium, quæ fingi, cogitari, credique possunt, rerum saporem continebit. Hic ergò sensus gustandi suam habebit voluptatem non in perceptione cibi, & potus; sed humoris cujusdam suavissimi, qui linguam, palatum, & interiora imbuet. Hic humor proveniet, partim ex optimo temperamento: si enim homo boni temperamenti & planè sanus, suaviter afficitur linguâ & palato, etiã jejunus; quantò suavius ibi afficietur, ubi temperamentum erit perfectissimum? partim ex aliquo fortè cœlesti liquore divinitus infu-

(a) *Eccl. 24.*

ſo: quem credibile eſt etiam per ſtomachum, cæteraque interiora, diffundendum. Neque enim fruſtrâ de Beatis canit David; (a) *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ; & torrente voluptatis potabis eos.* Senſus tangendi, ſuam voluptatem percipiet; tum ex aurâ cœleſti, & cœleſtis corporis attactu, tum ex intimo ſenſu optimi temperamenti: homo enim perfectè ſanus, ipſam corporis bonam conſtitutionem in ſe ſuaviter ſentit. Hujus voluptas erit longè maxima; quia cùm tactus ſit toto corpore diffuſus, puriſſimis quoque, ſanctiſſimiſque delitiis circumfluet. Imo ex mente celeberrimi ſcriptoris Granatenſis: Tactus in mutuo pacis oſculo, ipſius Dei Incarnati, & ſanctorum, ſummè delectabitur. Prô nimia cæcitas non credentium, vel credere nolentium, majores Deũ ſibi, & Electis non reſervaſſe delitias ac voluptates, quàm animalibus reſervâ-

(a) *Pſal.* 35.

servârit. Sciant porrò tantum inter cœlestes, & omnes simul terrenas voluptates, tàm præsentes, præteritas, quàm futuras discrimen esse, quantum inter Animam, & corpus, naturam, & gratiam; brutum pecus, & Seraphinum; tempus, & æternitatem. Superest ultimus sensus, Auditus. Itaque aures sine intermissione audient ineffabilis illius musicæ concentum, & harmoniam; cujus vox una satis est ad omnium hominum animos incredibili voluptate perfundendos. Sonãt enim ibi semper, ut ait B. Aug. melliflua hymnorũ organa. Tunc complebitur illud, quod scribit S. Joan. (a) *Post hæc, audivi quasi vocem tubarum multarũ in cœlo dicentium Alleluja: Laudem dicite Deo nostro omnes sancti ejus; & qui timetis Deum; pusilli & magni. Et audivi vocem quasi turbæ magnæ: & sicut vocem aqua-*

(a) *Apoc. 19. 6.*

rum multarum ; & sicut vocem tonitruorum magnorum , dicentium Alleluja; quoniam regnavit Dominus Deus noster Omnipotens; gaudeamus , & exultemus , & demus gloriam ei; quia venerunt nuptiæ Agni. Illic (ut docent quidam Theologi) (a) *quilibet sanctus cantabit propriâ, & singulari voce ; quæ ab omnibus & singulis audietur, & discernetur.* Innuit id David: (b *Exaltabunt sancti in gloriâ, lætabuntur in cubilibus suis; exaltationes Dei in gutture eorum. Exaltationes Dei*, vocat laudes , quibus Deum extollent , immensam ejus excellentiam , omniaque opera magnifica commemorando. Has , ait , fore *in gutture eorum* : non ergò solum in animo , nec solum cogitatione Deum laudabunt ; sed & voce. (c) Itaque dubitandum non est , fore ibi cantum vocalem : Ita Lessius. Quia cùm

(a) *Busto T.2.serm.504.* (b) *Ps.149.*
(c) *De summo bono l.3.c.8.fol.524.*

cùm homo corpore, & animo conſtet; oportet, ut non ſolùm animo, ſed & corpore ſerviat. Servitus autem Dei conſiſtit in laude, & gratiarum actione; præſertim in patriâ, ubi omnia opera pœnitentiæ, & miſericordiæ ceſſant. Accedit, quod ex magno amore, & intenſo gaudio homo naturaliter incitatur ad cantandum, ut experientiâ conſtat. Interna enim ſuavitas mentis, dum ex parte ſuperiore redundat in inferiorem, etiam per corporis inſtrumenta ſe prodit foris. Quare cùm ſancti ſint Divino amore inflammati, & gaudio undequaque pleniſſimi, impenſiſſimè ab intrinſeco ad Divinas laudes cantum celebrandas incitantur. Unde S. Gregorius explicans verſiculum illum, c. 8. Job: (a) *Donec impleatur os tuum. Benè os riſu impleri dicitur, & labia jubilo: quia in illâ æterna pa*[illegible]*â, cùm Iuſtorum mens*

(a) *L. 8. Moral. c. 31. 1.*

in exultationē rapitur, lingua in cantum laudis elevatur. De eâdem re D. Augustinus: *Omne opus eorum, laus Dei, sine fine, sine defectione, sine labore. Felix ego, & verè in æternum felix! si post resolutionem hujus corpusculi audire meruero illa Cantica cælestis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni, ab illis supernæ patriæ civibus, Beatorumque spirituū agminibus? fortunatus ego, nimiumq; beatus! si & ego ipse meruero cantare ea, & assistere Regi meo, Deo meo?* Quisque ibi canit laudes Divinas modo sibi accomodato: Angeli, voce spirituali; homines etiam corporali. Quanta verò futura sit voluptas cœlestis illius musicæ, ex humani cantus suavitate proclivè est conjicere; quæ interdū tanta est, (ut cùm excellens aliqua vox conjungitur cytharæ, aut testudini) animum quasi à corpore abducat; & homo vix ferre possit ob nimiam cordis dele-

delectationem Ars musica, dulce laborum solamen, quantum humanas afficiat mentes? illi maximè experiuntur, qui sonos ingeniosè attemperatos, aurium delitias norunt æstimare. Sed ausim dicere; si phonasci hic omnes, & quotquot in terris scientes sunt musices, conferantur ad cælestes Aulædos, stridulæ cicadæ, raucum aliquid & insulsum murmurantes videbuntur. Finge te, modulatas avium voces audire; eæ omnes ad illam cœlestis musicæ suavitatem sordebunt. Puta nervos, chordasque testudinum sonare, plorabunt. Cogita liquidi gutturis, artisque musicam promitti: huic qualicumque musicæ, simul ac alteram illam tu opposueris; ocius, & Bysthoniam testudinem cessare, & Lesbiam cytharam facessere, & pertæsus tacere Amphionis lyram jubebis. Digni erunt cœlestis illius concentus musicam percipere, quorum aures

apertæ ſunt, & largisſime patent audiendo verbo Dei, Spiritus ſancti afflatibus ac inſtinctibus, Angeli tutelaris inſpirationibus, piis monitis, ſalubribus conſiliis: clauſæ verò ſunt, dum cum Athenienſibus aliqui, de umbrâ aſini, & puerilibus nugis, & anilibus fabulis, offutiis, & affaniis longos ſermones texunt; ſunt aliqui eo impietatis prolapſi, ut fruſtra illis inter vitia ſua, & delitias ſepultis, loquatur Eccleſiaſtes, in Templo; Angelus, in conſcientia; Deus, in mente: ſurdi ſunt. Lubet rem hanc planius exponere, fuſiuſque. Coſmographi tradunt quoſdam Nili accolas, planè ſurdos eſſe, propter continuum fragorem, & vehementem impetum, quo fluvius ille de altisſimis montibus ſe præcipitat: obtuſæ ſemper magno ſtrepitu aures, denique ſurdeſcunt. Et mundus iſte, nunquid torrens eſt? Nunquid impetuoſo Nilo ſimile flumen?

men? Nunquid & procelloſum eſt mare? O quanti in hoc pelago fluctus curarum! quot undæ ſollicitudinum? quanti ſtrepitus affectuum! quanti clamores, & vociferationes plorantium, cachinnantium, negotiantium, fabricantium, ludentium, bacchantium! atque hæc cauſa eſt, cur impius quiſque, ac ſceleratus de altero mundo, alterâq; vitâ, aut non audiat, aut non fructu percipiat; quia totus ejus abſorptus eſt animus, in re familiari benè adminiſtrandâ, in ſanitate conſervandâ, in lucro faciendo, in locupletandis liberis, & ſexcentis aliis hujus ſæculi negotiis? Demum hic mundi ſtrepitus eſt? quo multorum inter flagitia ſua, ita aures obtunduntur, ut ſurdi fiant, nec admittant amplius pia, & ſalubria ſuadentium conſilia: ſic non pauci ſurdi fiunt ex conſceleratis hominibus, ad conſcientiæ ſuæ domeſticas exprobrationes, ad cla-

mores Ecclesiæ, ad severa Numina ipsius, & frequentata monita. Ajunt quidem, pro pallio continuandæ impietatis affirmant; cùm olim ad extrema ventum fuerit, se utramque aurem latissimè aperturos, salutaria dicturis, conscientiæ, sacerdoti, Deo: falluntur illi plerique, qui multo tempore, multisque annis inter vitia, & cupiditates suas obsurduerunt; etiam sub mortem, nullis cohortationibus ad resipiscentiã possunt promoveri. Non est, ut sperent illi, se audituros illud Divinum in cœlesti Odeo, Alleluja. Quod, ut percipiatis, audite nunc Verbum Dei; auditum observate: *Beati enim, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*



CAPUT

CAPUT VII.

Exuberans gaudiorum copia, ex mutuo Beatorum aspectu, & gloriâ.

SI quis expetat in hâc valle lachrymarum habere spongiam, quâ abstergat ab oculis suis omnem lachrymam, is hodie mecum oculos non in altum attollat ad sublime cœli Amphiteatrum; sed convertat ad nobile illud patientiæ theatrum, ad Jobi sterquilinium. Si rectè expendas, quæ audies verba in hoc sterquilinio, terrena omnia cum Paulo, arbitraberis ut stercora. Job verè monstrum patientiæ: cùm jaceret in olido fimeto, tanquam spectaculum humanæ miseriæ, velletque suum in extremis ærumnis lenire mærorem, quin & aliorum omnium in quavis calamitate mittigare dolorem; voluit verba quædam arcana exprimere,

quæ ad omnem omnium sæculorum memoriam perennarent. Audite loquentem : *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Quis mihi tribuat*, inquit ? sed quid vis tibi tribui ? Quæ est petitio tua ? *ut scribantur sermones mei.* Ad eam inopiam redactus sum, ut etiam tegula, in quâ scribam, mihi non suppetat; contorti digiti, compressæ manus, frigore tremulæ, & ulceribus plenæ. Optarem tamen ad solatium breves sermones litteris commendare. Aderit utique, qui scribat. Quid superest? papyrus. Ecce charta papyracea, sed parcite quæso: deferatur membrana, pergamena ? nam charta papyracea deletur facilè, & frangitur. *Exarentur in libro.* Concedimus perlubenter, cedo librum: scribe, quæ lubet.
Ab-

Abſit, nollem tanti momenti verba, & digna cedro, exarare in libro, qui putrefactioni, & tinearum edacitati obnoxius eſt. Erit fortaſſe plumbum extenſum per modum pergamenæ, cui verba mea perenniter imprimantur? Aderit: *ſtylo ferreo, & plumbi lamina.* Verùm, nec plumbum mihi placet, quia poteſt igne ſolvi, & liquefieri. Aliud poſco, quod ſit ære perennius. Ecce ſilicem? placet: *Vel celte ſculpantur in ſilice.* Habes ad manum ſilicem, ſilemus, ut verba à te exaranda percipiamus: *ſcio*, inquit, *quod Redemptor meus vivit; & in noviſſimo die de terrâ reſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle meâ; & in carne meâ videbo Deum Salvatorem meum*, &c. *repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Quaſi dicat: Hæc ſpes ſola videndi aliquando oculis meis Salvatorem meum? jam nunc & animum extremè afflictum, &

corpus tot ulceribus plenum, tanto undequaque perfundit gaudio; ut omnis mihi calamitas vertatur in solatium; omnis afflictio, in lætitiam: multoque mihi acceptius sit, jacere in hoc sterquilinio, quam sedere in solio. Hic ergo vos jam paucis expendite: si spes adhuc tenuis, & obscura illi⁹ gloriæ, quam à longè prospexit Job mille retrò annis, tolerabilia, imò facilia; ne dicam, jucunda reddiderit, nuditatem, morbos, ulcus pessimum, ignem sacrum, lepram, scabiem, elephantiasim, dolorem articularem, viscera putrida, apostema, gravem halitum, uxorem stultam, dæmonem, infamiam, probrum, & sterquilinium, in paradisi speciem converterit; si, inquã, tantum potuerit sola spes Christum videndi? quid erit re ipsâ, & illius conspectu frui; & totâ, quæ infinita est, beatitudine potiri? (a) *Vbi erit* (ait Gregorius) *lux, sine defectu; gaudium,*

(a) *In psal. 7.*

dium, sine gemitu; desiderium, sine pœnâ; amor, sine tristitiâ; satietas, sine fastidio: sospitas, sine vitio; vita, sine morte; salus, sine languore. Vbi (ait Augustinus) *Rex, est veritas; lex, charitas; dignitas, æquitas; pax, felicitas; vita, æternitas? Vbi* (ait S. Bernardus) *præmium est videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo; esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus.* Nos more nostro, ex immenso illo delitiarum Oceano, stillas aliquas delibem⁹; expendendo quantũ futurum sit gaudium, ex beatissima illâ Beatorum omnium tum hominum, tum Angelorũ societate. Plurimum confert ad solatium, plurimos esse, qui solatii suppeditent argumentum. Nunc autem quanta sit futura Beatorum se invicẽ, summo cum gaudio contuentium multitudo, expendamus. Inchoamus ab Angelis. Proditur 4. lib. Revelat. S. Brigittæ, Deiparam dixisse D. Brigittæ,

gittæ, tantum esse numerum Beatorum spirituum Angelicorum; ut si computarentur omnes homines, ab Adam, usque ad ultimum in fine mundi nasciturum, possent unicuique homini deputari ad minus decem Angeli. (a) D. Dionysius Areopagita dicit: *Tantum esse numerum Angelorum, ut soli* Deo *sit cognitus.* (b) S. Ambrosius dicit, *homines esse centesimam tantum partem numeri Angelorum; & quatuor superiores Ordines, Dominationes, Thronos, Cherubinos & Seraphinos, longè esse numerosiores quinque Ordinibus inferioribus.* (c) Suares dicit, *numerum Angelorũ, respectu hominũ dici posse infinitum, & innumerabilẽ.* Albertinus dicit, Archangelos eodem excessu superare Angelos, quo ipsi superãt homi-

(a) *Celest. Hierar. cap.* 13. & 14. (b) *Ambros. in Luc. cap.* 15. (c) *Suar. l. de Angel. nat. cap.* 11. *n.* 3.

homines: Ergo cum teste D. Brigittâ, (cujus Revelationem maximi æstimat Vasques) pro uno homine, decem Angeli dari possint; eodem excessu, dabuntur prò uno homine centum Archangeli, mille Principes, decem millia Potestatum, centum millia Virtutum, millio Dominationum, decem milliones Thronorum, centũ milliones Cherubinorũ, mille milliones Seraphinorũ. Quod & S. Thomas apertè docet, dicens, tantò magis in unoquoque Ordine multiplicari Angelorum numerum; quantò Ordo ipse altior est, & præstantior. Unde meritò interrogat Job: (a) *Nunquid est numerus militũ ejus?* quasi dicat innumerabiles esse: Jam verò est valdè credibile, quod docent novissimi Auctores, (b) *Angelos omnes in cælo assumpturos corpora speciosa ex æthere, quib⁹ pascãt oculos*

(a) *Cap.* 25. (b) *A Lapide prop. Major.* 289.

los Beatorum; ut ab illis videri, & ore ad os loqui possint. Hoc enim videtur poscere amicitia, & arctissima unio, & communicatio; quæ erit inter Angelos, & homines Beatos, quasi concives cœli: alias etiam sensus Beatorum, nullum ex Angelis reciperent gaudium; imò in nullâ re cum illis communicarent: itaque inter Angelos, & Beatos tantum esset communicatio, quoad mentem, non quoad corp⁹. Quod si ita est, Deus immortalis! quale erit gaudium, tot immēsæ pulchritudinis spiritus intueri, alloqui, cum illis cōversari? Refert Serarius, de quodam Architecto, (a) *qui cùm Erfordiæ erigeret Chartusiā, Angelum specie juvenis conspexisse, tantâ elegantiâ, & pulchritudine; ut diceret se alterius oculi jacturam libenter facturum, si eum iteratò semel duntaxat conspicari posset.* Si quis posset vel Angelum videre unum; cum eo loqui; audire illum

(a) *A Lap. Prop. Major 289.*

de

de arcanis, & sublimibus rebus magnificè disserentem; intueri illius vultum pulchritudine mirabili formosum: vim mentis penetrare, & acervos perfectionum, magnaque illa Intellectus, ac voluntatis ejus decora, sanctimoniamque augustam, quãtis gaudiis colliquesceret? Et dubitemus, quin Beatus splendidissimo illo theathro omnium Angelorum incredibiliter capiatur? sanè, cùm oculos conjicient in illam tam illustrem Beatorum societatem, in quâ, ut à S. Basilio verba mutuer: (a) *Sunt Angelorum miriades; festi primorum parentum consessus; Apostolorũ throni; honorati Prophetarum conventus; Regia Patriarcharum sceptra; corona Martyrum; Justorum omnium laudes in commune triumphantium*; Vix tenere se poterunt, quin exclament atq; gestiant. Socrates, brevi moriturus, singulari gaudio afficiebatur; cùm se

(a) *Exhort. ad Bapt.*

dice-

diceret pergere ad Heroas, ad ſemi Deos; ad optimos viros antiquitatis, cum quibus in æternum agitaturum ſe ævum ajebat. Quod ſi cuilibet arbitrarium eſſet, cum quibus vellet colloqui, indubiè quiſque ſuæ artis Actorem, vel in eâ maximè præcellentem vellet alloqui? Philoſophi, Ariſtotelem; Mathematici, Archimedem; Oratores, Tullium; Pictores, Apellem; Medici, Hipocratem; Juriſperiti, Juſtinianum; Milites Alexandrum, aut Cæſarem; & optarent videre & cuperent alloqui: maximâ afficerentur voluptate, poſſe eorum frui & conſpectu, & ſocietate. Quale ergò erit gaudium poſſe familiariſſimè ſermocinari cum magnis illis antiquæ Legis Heroibus, Adamo, Noë, Abraham, Jacob, Joſeph? cum illis, Divino Spiritu olim afflatis vatibus, Iſaiâ, Jeremiâ, Ezechiële, David, &c. cum inclytis Regibus, Davide,

Eze-

Ezechiâ, Josaphato, Manasse: cum honorato Apostorum senatu, cum Petro, Paulo, Joanne: cum Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Gregorio; quorum, & sanctimoniam veneratur, & scientiam admiratur tota posteritas. Nec tantum gaudebunt mutuo conspectu; sed & colloquio. Hîc jam magna est controversia in scholis Theologorũ; quo idiomate Beati se mutuò alloquentur, an Latino? an Græco? an Syriaco? Memini, me aliquando legisse in quodam impertinenti Thesium Theologicarum, usuros Beatos in cœlo idiomate Hiberno: sed nemo miretur impertinentia poni in impertinẽti. Sunt, qui existimant, quẽque locuturũ suo idiomate, sibi vernaculo; ut omnium gentium linguis Deus laudetur. Rem prodigio simillimam, quæ sententiam nostram confirmat, refert S. Gregorius: (a) *Puer quidam armentarius, hâc vitâ prius*

(a) *l. 4. Dialog. c. 26.*

prius defunctus, deinde eidem restitutus, Dominum suum vocari jussit; cui ait: *ego in cœlo fui, & qui de hâc domo morituri sunt, agnovi: Ille, ille, atque ille, morituri sunt, &c. Ut autem scias, quod me in cœlo fuisse verum fateor; Ecce accepi illic ut linguis omnium loquar. Nunquid tibi incognitum fuit, quod Græcam linguam omninò non nossem, & tamen Græcè loquar; ut cognoscatis, an verùm sit, quod me omnes linguas accepisse testificor.* Cui tunc Græcè Dominus suus locutus est; atque ita ille in eâdem linguâ respondit; ut cuncti, qui aderant, mirarentur. In eâdem domo habitabat quidam Bulgarus; qui ad hunc puerum deductus, Bulgaricâ linguâ locutus est. Sed ita puer ille, cùm esset Italus natione, Bulgaricâ locutione respondit, ac si natione fuisset Bulgaricus? Ex duarum ergò linguarum experimento crediderunt eum, uti fatebatur, fuisse in cœ-

lo:

lo: ita D. Gregorius. Tametsi non constet ex Divinis oraculis, quo idiomate, Beati se invicem, ut plurimùm sint allocuturi; tamen rationi conformius videtur, (quæ est & D. Hieronymi opinio) futurum illud idioma, quod primo homini Adamo à Deo fuit infusum, nimirum Hebræum: Nam Deus ipse, Hebræâ linguâ Adamo fuit locutus in paradiso. Et ipse Filius Dei jam Incarnatus, eâdem linguâ usus est plerumque, & eâ arcana omnia fidei, mysteria, & Evangelia exposuit. Colloquia autem, quæ illic instituent, erunt, qualia olim fuerunt Apostolorum; cùm repleti jam Spiritu sancto, in solemnitate Pentecostes, loquebantur variis linguis. Et quid loquebantur? (a) *Magnalia Dei*? sic illi inter sese jucundissimè different de imensis Dei perfectionib[9]; de ejus ineffabili sapientiâ, potentiâ, Bonitate,

(a) *Actor. 2.*

tate, Misericordiâ, Justitiâ; & potissimum admirabili illâ Providentiæ ejus œconomiâ, circa propriam suam salutem. Quam occultis callibus, & arcanis modis eos ad salutem promoverit? quoties suâ gratiâ prævenerit? Divinis instinctibus ad virtutem permoverit; in gravissimis dœmonis insultibus adfuerit; è præsentibus periculis eripuerit; ab æterno ex singulari favore eos ad gloriam elegerit? O quantò exultãtis animi gaudio unus alteri, post enarrata salutis, quæ adiêre pericula, repetent illud sacrum Regii Vatis acroama! (a) *Nisi quia Dominus adjuvit me; paulò minùs habitasset in Inferno anima mea.* Quàm jucundum erit audire ex ore Magni illius Pauli, quomodò cùm ipse in campo Damasci spirans irarum, & cædis in discipulos Christi, voce è cœlo lapsâ, & fulgenti luce circumfusus, fuerit repentè ex Ecclesiæ persecu-

(a) *Psal. 93, 17.*

tore, redditus ejuſdem Apoſtolus. Ex ore Petri, quo pacto, cùm ille ter Chriſtum negaſſet, ejuſdem oculis in ſe converſis, illicò amarè fleverit. Quibus verbis efferet Chriſti erga ſe beneficentiam Magdalena; cui poſt vitã obſcæniſſimè in lupanaribus actam, remisſſa ſubitò fuêre omnia peccata. Quoties narrabit ultimum, quò propè naufragium paſſus eſt, animæ periculum David; dum & iniquisſimum commiſit homicidium, & tupisſimum patravit adulterium? Non tunc amplius canet triſtem illam Næniam: (a) *Miſerere mei Deus*; ſed *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* Deinde alii diſſerent de arcanis fidei Myſteriis; de Chriſti Incarnatione, Nativitate, vitæ ejus normâ: de illius cruciatibus, Reſurrectione, Aſcenſione ad cœlum, de Sacramentis. Singuli præſertim Religioſi narrabunt; quibus Dei afflatibus, ex mũ-

(a) *Pſal.* 50. 88. 2. V di

di fluctibus erepti, ad religiosæ vitæ portũ fuerint promoti: aliàs æternùm perituri. Sic quilibet totius vitæ gesta, & pericula, & Divinæ circa se Providentiæ dispositionẽ, ac seriem, summâ cum animi triumphantis præ gaudio, exultatione enarrabit. In hac magnâ Dei Basilicâ non resonabunt, nec audientur illorum voces, quibus in hâc vitâ, linguâ, nobile illud hominis ornamentum, nõ est aliud, quàm ad Deum offendendum instrumentum. Illos non admittendos in sacrum illud cœlestium Oratorum Concilium; patet ex D. Paulo, qui dicit: (a) *Neque maledicos, neque rapaces Regnum Dei possessuros.* Quisquis ergò es candidatus Regni cœlestis; cave, ne censearis in cathalogo maledicorum. Qui sunt maledici? Qui, ut sanniones inverecundi turpicula, è trivio, & fæce populari petita semper

(a) 1. *Corin.* 6.10.

per in ore habent: qui, teste Ambrosio, (a) *velut pleni rimarum, huc atque illuc effluunt*; & temerè, putidè, ac indecorè omnia effundunt; qui, quidquid est, vel acrimoniæ in satyris, vel severitatis in jambis, vel obscœnitatis in elegiis, plenis buccis deblaterant. Sciant ergò detractores, nullum se reperturos locum inter illos, qui summâ charitate, & concordiâ sunt copulati. Oraculum enim est Pauli: *Neque maledici Regnum Dei possidebunt*. Quid deinde? Audiamus Empyreæ domus secretarium D. Joannem? (b) *Qui non inventus est in libro vitæ; missus est in stagnum ignis.* In hoc stagno, inquam, fluctuantis, & fumantis ignis: consecrati detractores, maledici, audaces, & infandi, cœlo exclusi, ut ranæ informes, ut monstrosi pisces, ut marini dracones, squamis hirti, ore fædi, & edentuli natabunt,

(a) *In Psalm.* 118. (b) *Apoc.* 20. 25.

tabunt, & tempus ſempiternum cruciabuntur. Jam quis neſcit, ut maris, ac fluviorum, ſic ſtagnorum piſces, propriè dici mutos, ſic illis detractoribus, Deus in ſtagno illo fluitātibus, vocem, & ſermonem demet, quò nefariè ſunt abuſi. Nec canent illud lætum Alleluja, ſed triſte, & lamentabile væ, væ. Væ ergò maledicis! quoniam Regnum Dei non poſſidebunt.

CAPUT VIII.

Ingens Beatis eſt lætitiæ materia, ſingulorum inter ſe concordia, & amor.

(a) CHriſtus, ut electos ſuos in mundi jam deficientis occaſu conſolaretur, eorum animos inter tot turbidas cœli, terræq; tumultuantis tempeſtates erigeret; his illos verbis adhortatur. (b) *His autem fieri incipientibus, reſpicite, & levate ca-*

(a) *Gaudium ex ſocietate ſanctorũ & eorum amor.* (b) *Luc.* 42.18.

pita vestra. Non vult illos despicere terras, sed respicere cœlos: *Levate capita vestra*, id est, mentis atque intelligentiæ aciem attollite; abite, & affectu, & re etiam ipsâ à terrâ, mundumque hunc aspectabilem contemnite. Opportuno planè consilio; quia ut rectè Galfridus: *Nō exspectemus, ut mundus nos obruat; qui necesse est, ut ruat.* Et vos ex mediis hujus turbulenti mundi fluctibus, quibus involvimini, levate capita vestra ad portū. Ex hoc cœno, luto, & fæcibus, quib⁹ volutamini, levate capita vestra ad paradisum. Ex hoc luctuoso carcere, ex hoc mæsto exilio, ex hâc valle lachrymarum, levate capita vestra ad illud regnum, ad patriam, ad montem Domini, cœlestem Jerusalem. Ad hoc ipsum, piissimis nos verborum aculeis stimulat Regius Propheta: (a) *Filii hominum usquequo gravi corde; ut quid diligitis vanitatem, & quæritis*

(a) *Psal.* 4. 3.

mendacium? filii hominum, quorum origo cœlestis, sator Deus, forma Divina, Anima immortalis, corpus erectum; *filii hominum*, quibus patria, est cœlum; merces Dei possessio; vestis, gratia; expectatio, æterna gloria. *Usquequo gravi corde?* Animi vestri, cùm sint spiritus, subtiles sunt, cœlos penetrant, comparantur Angelis, Deum imitantur; cur humi cor defigitis, per solum repitis, infra terram abjicitis? *filii hominum*, si filii belluarum, aut brutarum pecudum essetis, non mirum esset, vos pronos spectare terrâ, & prono affectu ferri ad terrena. Verum, *filii hominum*, rationis participes, totius universi Principes; quorum Animæ è cœlo satæ, in cœlum aspirant: quorum oculi in supremo capite collocati, quasi supernorum speculatores; quorum mens tendit in verum, voluntas rapitur ad bonum. *Usquequo?*
Non

Non ſat temporis vanitati conſecratum? non ſat eſſet, ſemel & iterum in veterem vilitatem degeneraſſe? *Uſquequo?* Abiit futilis infantia; expiravit fatua pueritia; evanuit inſana juventus; præteriit virilis ætas, properat ſegnis ſenectus; inſtat mors, imminet æternitas. Vos ergò, qui hactenus fuiſtis gravi corde, levate capita veſtra illic, ubi eſt merces veſtra: & quam illa copioſa futura ſit, ex copioſiſſimo gaudio, quo Beati perfunduntur, ob glorioſam cœlitum ſocietatem, mutuum amorem, ſummam concordiam intelligite. Homines in hoc mundo ſunt tanquam in itinere viatores, in diverſorio hoſpites, in exilio advenæ: at verò, ubi ad patriam pervenerint; tunc demum audiunt ex ore Magni illius Patris familias: (a) *Jam non eſtis hoſpites, & advenæ; ſed eſtis cives Sanctorum, & domeſtici* Dei?

(a) *Ad Epheſ. 2.*

Dei? Modò dispiciamus, quales sint, qui admittuntur illic & cives, & domestici. Quærit Regius Vates: (a) *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Respondet Deus: *Qui ingreditur sine maculâ, & operatur Justitiã.* Itaq; nemo unus illic est cum minima vel in Animâ labe, vel in frõte ruga, vel in vultu nævo, vel in veste maculâ. Illic nil intrat coinquinatum. Apud Veteres, Templa habebant fontes, quibus ante ingressum quilibet diluebatur: Inde & templa hujusmodi, delubra, à diluendo vocabantur, teste S. Isidoro. (b) Sic antequam ingredimur magnum illud Templum veri illius Salomonis; necesse est, labes omnes eluere: quia nil coinquinatum intrabit in Regnum cœlorum. (c) *Ipsa verò Civitas,* (ait S. Joannes) *aurum mundum simile vitro mundo.* Non est vel mi-

(a) *Psal.* 14. 1. (b) 15. *Etymol. c.* 5. (c) *Apoc.* 21.

minimus illic pulvisculus; multò minus in plateis cœnum, aut lutum, aut fæx. Illic sunt lilia, sed sine lolio; rosæ, sine spinis; aurum, sine scoriâ; uvæ, sine labruscis; granum sine palea; frumentum, sine zizanio. Hoc innuit Isaias, his verbis: (a) *Hierusalem civitas sancta, non adjicet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus, & immundus*, scriptum est: (b) *foris canes*. In illâ patriâ, nullus est cum Abele Cain, qui occidat: in illo regno, nullus cum Davide, qui persequatur Saul in illâ familiâ, nullus cum Jacob Esau, qui oderit: in illâ domo, nullus cum Isaaco, qui pugnet Ismaël: in illo Collegio, nullus est cum Apostolis, qui prodat, Judas. Nulli ibi claudi, manci, lusci, loripedes, gibbosi; sed omnes staturâ corporis æquales, colore candidi, corpore integri, formâ speciosissimi; omnes innocentes, sapientes, nobiles, affabiles. Deinde, si juxta tritum adagi-

(a) *Isa.* 51. (b) *Apoc.* 22.

um : In omni re, varietas delectat: hujus profectò delectationis copiosissima erit materia, quia maxima erit in tanta societate varietas. Primò erit varietas sexuum, viri, fœminæ, & neutri Angeli, in quibus tres Hierarchiæ; in quâlibet, tres Chori. Secundò, varietas nationum: (a) *Ex omnibus Tribubus, linguis, nationibus, populis*, ut loquitur S. Joannes, qui tamen omnes se mutuò intelligent, quia quilibet omnibus linguis loqui poterit. Tertiò, erit varietas statuum; alii Patriarchæ, alii Prophetæ, Apostoli, Martyres, Episcopi, Doctores, Monachi, Eremitæ, Virgines, Viduæ, Conjugati. Quartò, diversitas meritorum in quovis Ordine: sicut enim stella differt à stella in claritate, & alia est claritas Solis, alia lunæ: ita & in Sanctis erit varietas gloriæ. Jam, si varietas stellarum in cœlo; varietas florum, in

(a) *Apoc.* 5. 9.

horto; varietas herbarum, in prato; arborum in ſilvâ, avium in aëre, ciborum in menſâ, nationum in terrâ; varietas pennarum, in pavone, piſcium in mari, vel expreſſa tantũ in libris, aut tabulis adeò delectet; quæ erit delectatio, videre in tantâ multitudine tantam varietatem? Quale gaudium erit, illic vivos præſenteſque ſpectare in cœlo, quorum nunc oſſa veneramur in ſepulchro. Magni pendimus in thecâ aliquâ argenteâ geſtare ad collum, illorum vel cineres, vel partem veſtis: deinde multorum dierum conficimus itinera, ut vel loca, ubi ſepulti ſunt, luſtremus; illorum favillas & cineres, proni, corporis reverentiâ colimus, & diſſuaviando oſculamur, quid erit, videre illorum corpora, quorum hic veneramur vel oſſa; Quanti æſtimamus Auguſtini ſcripta, Chryſoſtomi Homilias, Gregorii Libros, Tho-

mæ

mæ Doctrinam? quid erit, Magnos illos Heroes audire loquentes in cœlis, quorum ſcripta ſic admiramur in terris? Quanta erit voluptas, eorum conſuetudine familiariter uti? quas tametſi nunquam viderimus, eorum tamẽ memoriam, feſtis diebus, cæremoniis, rituque ſolenni celebramus. Sed præcipuum gaudiũ, quod percipiunt Beati, eſt ex tantâ illâ Cœlitum omnium inter ſe concordiâ. Nullæ enim in tam numeroſâ cœleſtium Civium turbâ, erunt turbæ. Adeò enim arcto charitatis, & ſinceræ amicitiæ vinculo copulãtur; ut non ita firmis compagibus membra membris adhæreant. Nulla enim ibi contradictio, oppoſitio, altercatio, ambitio, æmulatio. Omnes idem volunt, idem nolunt; quia omnes unam, & eandem habent, & obſervant regulam, Dei voluntatẽ cui refragari amplius non poſſunt. Majores illic gloriâ impenſiſſimè diligunt

diligunt se inferiores : hi contra officiosissimè colunt, & venerantur eos, qui sibi gloriâ præcellunt; & de gratiis in eos collatis maximoperè, & collætantur, & congratulantur. Bonum unius, bonum est omnium, & omnium uniuscujusque sigillatim : quisque namque bonum ejus, quem diligit, tanquam proprium sibi adscribit ; quin tantum, ne dicam amplius gaudet quisque de bono alterius, ac de proprio, idque per exuberantis charitatis excessum. Omnes eidem mensæ assident Divinitatis : omnes eodem bibunt è calice; omnes ex eodem fonte hauriunt. Deus siquidem in omnibus, & omnes in Deo; ipse illis omnia. Ac proindè nulli afficiuntur, nisi ipsi; adeò ut illos sibi uniens, illos & invicem uniat, & connectat, juxta vulgatum illud Philosophiæ axioma: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* O Beatam societatem!

tatem! in qua multitudo sine confusione; magnitudo, sine ambitione; varietas, sine contentione: inæqualitas, sine discordiâ; æterna, sine diminutione Charitas reperitur. Unde S. Augustinus, exponens illa verba; *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, (a) ait, Sanctos ipsosmet esse tubam, Psalterium, cytharam, tympanum, & chorum, chordas, organum, & cymbala benè sonantia, quibus ibi dicuntur laudare Deum. Ipsi siquidem, etsi diversa sint instrumenta, & diversos reddant sonos, & tonorum differentias, uti in musicâ: omnes tamen aptissimè consonant, & hâc differentiarum consonantiâ Deum concordissimè laudant. Illic ergò, cùm futura sit perfectissima Charitas, illa faciet quoque omnia communia. Pro hâc impetrandâ orabat olim Christus Patrem, cùm diceret: *Rogo te Pater, ut illi unum sint*, per

[a] *In Psal. ulti.*

per amorem, scilicet, (a) *Sicut nos unum sumus*, per naturam. Itaque omnes & Angeli, & Beati homines unum sunt, magis, quàm membra unius, ejusdemque corporis; quia omnes participant de eodem spiritu, qui dat omnibus unum esse, & unam beatam vitam. Unde quæso, membra unius corporis tantam inter se habent unitatem, & concordiam? Causa est; quia omnes de unâ, eâdemque formâ communicant, quæ est una, eademque Anima: quæ dat unicuique esse unum, & vitam unam. Si anima, seu spiritus humanus tantæ sit virtutis, ut possit inter membra tam longè inter se, & naturâ & officio differentia, ut sunt pedes, & caput, tantam unitatem conciliare: quantò magis poterit spiritus Divinus, per per quem vivunt omnes Electi, tantam, & multò perfectiorem uni-

(a) Joan. 17. 10.

tatem facere inter ipſos cœlorum cives, & incolas. Jam verò, ſi hoc modo unitas, & amor omnia communia faciat, tam bona, quàm mala; quantam lætitiam unus Electus ex gloria capit omnium aliorum, dum quemlibet, & ſingulos amat ſicut ſeipſum? Nam (ut D. Gregorius loquitur) hæreditas cœleſtis pro toto exercitu Sanctorum eſt una; & pro uno illorum, tota: ſinguli enim de gaudio omnium tantam percipiunt lætitiam, quantam perciperent, ſi ipſi omnium posſiderent. Quid jam hinc ſequitur, niſi, quemadmodum Electorum infinitus quaſi eſt numerus; ita & ſingulorum gaudium futurum ſit infinitum? Ut autem cœlo potiamur, hanc prudentiæ regulam ſectemur: videlicet ut non rarò totius vitæ noſtræ rationes ob oculos nobis ſubjiciamus, eamq; accuratè ad hanc amusſim componamus? An vita

hæc

hæc mea, quam hoc modo duco, cœlo ſit digna? Quidquid Chriſtus prohibet, facio; quidquid faciendum præcipit, rejicio: ſperno ejus conſilia; non audio ejus monita; deſpicio mandata; violo ejus leges; non obtempero ejus inſtinctibus: ſicne itur ad aſtra? Deinde vehementer conducet, ut ſingulas ſæpè actiones reſpiciam, meipſum interrogando: Eſtne hæc actio conſentanea vocationi meæ! atque adeò ducitne hæc actio ad cœlum? Eſtne talis, ut mercedem indè, & bravium à cœleſti Agenothetâ exſpectare liceat; imprudens ſim, ſi exequar illam, unde ad æterna bona mihi aditus vel intercipitur, vel impeditior redditur. Hâc regula opera ſua omnia metiebatur S. Ludovicus Galliarum Rex, qui ſceptrum ad modum obeliſci artificiosè elaboratum in annulo incluſum gerebat, cum hoc ſymbolo: *Volo ſolidum, peren-*

perenne; quaſi dicat, omnia dicta, factæ, cogitata volo, ut cœlum & æternitatem ſpectent. Sed mentes hominum faſcinat amor terræ. Hoſtis offert pomum, ut rapiat Paradiſum: terram cum auro ſuo ingerit, ut ſubtrahat cœlum; voluptates fluxas obtrudit, ut auferat æternas; honoris fumum venalem offert, ut adimat immortalitatis gemmam. Concludo cum D. Bernardo. (a) *O verè miſer homo, ut miſerum paſcas corpus, & veſtias, & carnis voluptatibus, quæ poſt paucos dies à vermibus devorabitur, ſatisfacias, ſollicitus laboras, diſcurris, vigilas, & ſomnum non capis, ut repleas ventrem: & pro Animâ tuâ, quæ Deo præſentanda eſt, cur non ſolicitus fatigaris, ut ipſam paſcas bonis operibus, & induas virtutibus, ne appareat nuditas ejus? Væ tibi eſt! & væ tibi erit! quia reddes, quæ ſunt Cæſaris Cæſari; & non*

(a) *Serm. de miſeria hominis.*

& non quæ sunt Dei, Deo. Vide miser, quia totum, est vanitas; totum, est stultitia; totum, dementia, quidquid facies in hoc mundo, præter id solum, quod in Deum, & propter Deum, & honorem Dei facies.

CAPUT IX.

Deus clarè visus, est tota hominis salus.

(a) ISaias plenus jam cœlesti instinctu, ac Divino afflatu, cùm vellet prædicando vaticinari, & exponere felicissimam hominis Justi jam demortui conditionem; multa, imò omnia his paucis complexus est verbis: *Dicite Justo, quoniam benè.* (b) Sub unicâ illâ voculâ Benè, totam comprehendit Beati felicitatem; quasi dicat, si benè est pe-

(a) *De visione Dei.* (b) *Isa.* 3.

regrino, dum pervenit in patriam; si benè est nautæ, dum subiit portum; si benè est militi, dum fruitur pace; si benè est rei cuicumque, dum quiescit in centro: dicite Justo, quoniam benè; quia dum Deum videt, jam quiescit in centro: jam factus est in pace locus ejus; jam fruitur portu, jam habitat in patriâ. Deus confirmaturus animum Moysis, & induraturus contra omnes, quæ illi impendebant calamitates, dicit: *Ostendam tibi omne bonum.*(a) quasi dicat: Noli animo dejici, nec frangaris adversitate, tibi ipsi consta in ærumnis: sint, licet graves, quos exantlas, labores; dura, quæ pateris, incommoda; magna, quæ subis, pericula; multæ, quas toleras, molestiæ; major tamen his omnibus erit merces tua: *Ostendam tibi omne bonum.* Tria sunt bonorum genera: honestum, utile, jucundum: hæc omnia bona tibi osten-

(a) *Exod.* 33.

ſtendam. Ad hæc, alia ſunt animi bona: ſapientia ſcilicet, ſcientia, virtutes: alia, corporis pulchritudo, ſanitas, robur: alia verò externa, divitiæ, voluptates, gloria. Hæc omnia oſtendã, cùm Unum bonum oſtendam: ſed quale bonum oſtendes? Omnis boni bonum, cui nil poteſt addi. Hîc ſemper bono aliquid additur: dicitur enim bonus homo, bonus ager, bona domus. Quoties dicis bonum, ſemper aliquid adjicis: ſed bonum ſimplex, bonum, quò cuncta ſunt bona, eſt Viſio Dei. De hâc Viſione Dei, quæ eſt ipſa totius Beatitudinis eſſentia: ſine quâ, licet omnia bona adeſſent, nemo eſſet Beatus, differemus. Hactenus, quæ de cœlo diximus magna, multa, mira, non modò pauca, parva, communia, ſed propè nulla cenſebuntur, ſi conſideremus è ſolio Dei emicantes radios infinitæ ſapientiæ, amoriſque immenſi,

qui ſua luce Beati mentem illuſtrabunt;& torrentes voluptatis indè manantes, quibus animus, & omnis illius affectio obruetur. (a) Cū olim Trajanus Imperator in ſenatum veniſſet, vultumque illum ſuum exhibuiſſet, pulchritudine & divina moderatione auguſtum, ac Majeſtate ſuſpiciendum: communi omnium ſenatorum voce acclamatum eſt: *O nos felices!* Quam ſe felices exclamabunt Beati omnes, cùm Magnus ille Rex Regum amabilem illum vultum ſuum aperiet: quem prius obvolutum, atque in hac vita per ſpeculum, perque ænigma videbamus: in quo intuendo, & amando, & fruendo, ſumma & abſoluta eſt felicitas. Ibi tandem aliquando cor illud, quod in mortali hac peregrinatione, *inquietum* ſemper eſt, ut ajebat Auguſtinus, cor quod ad Deum unum perenni motu ferebatur,

(a) *Plin. in panegyr.*

tur, suavissimè conquiescit? (a) *Universa cessant, desinunq; moveri cùm venerint sua in locum*, ait Aristoteles. Sic, cùm Deus sit boni centrum, & totius Beatitudinis complexio; qui perfectè illum possidet, nil aliud est, cujus desiderio capi, & teneri queat. Ibi quiescet appetitus intellectus nostri, nec amplius sapere quidquam expetet, habebit enim in conspectu suo omnia, quæ sciri possunt. Quiescet hîc cupiditas voluntatis: amabit enim bonum illud, in quo uno, bona sunt omnia: extra quod, nullum bonum reperitur. Ibi appetitus omnis edendi, bibendique satiabitur abundantiâ cœlestium epularum? Ibi tres illæ virtutes, fides, spes, & Charitas, quibus hâc in vitâ potissimum colitur Deus, liberalissimum recipient præmium? fides, visionem; spes, possessionem; Charitas imperfe-

(a) *Arist. l. 1. de cœlo c. 9.*

cta, ultimam perfectionem. Itaque non mirum, si tot bonis circumfluens anima, quæ toto mundo sic expleri non potuit, ut non longius, latiusque sinum immensæ cupiditatis extenderet, jam beatam satietatem experiatur, juxta Davidis vaticinium: *satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* (a) Vel, ut vertit Hieronymus: *Implebor*, pro satiabor. Illa est gloriosa expletio, quæ nil vacuum & inane dimittit; nil, quod prætereà possit animus appetere, & prosequi. Beata saturitas, sine nauseâ; voluptas, sine fastidio; perennium volupatum usus, absque mollitie; & continua, sine labore, felicitas. Quantùm ergò necesse est esse illam pulchritudinem, quæ sola conspecta tam Electos omnes reddit felices, ut non possint esse feliciores. Sed quid mirum est, si tantæ pulchritudinis visio Beatos faciat Ange-

(a) *Psal.* 16.15.

ſos omnes, juxta ac homines; cùm beatum reddat ipſum etiam Deum, qui non habet aliam Beatitudinem, quàm ut videat propriam ſuam pulchritudinem, eâque fruatur? Ad hujus rei cognitionem, etiam in cœca illa gentilitatis caligine, pervenit Ethnicus ille Philoſophus, imò Philoſophorum Princeps Ariſtoteles, hoc inductus argumento: ſummum illud bonum, ait, cùm vitam habeat, neceſſe eſt, in aliqua re ſe exerceat: ſed non dormit, cùm liberum ſit ab omnibus operibus humanis; qualia ſunt edere, bibere, & ſimilia: oportet igitur in alio nullo ſe exerceat, quam in contemplatione? An aliquid extra ſe, cujus contemplatione beatus ſit? Nequaquam: nam ſi tale quid eſſet; id melius eſſet, atque nobilius illo: ejus enim viſio, beatum faceret illud ſummum Bonum: & per conſe-

quens hoc Deus esset, non illud. Rectè igitur concluditur: si exercitium summi Boni sit contemplari, & contemplando beatum esse; nil autem contempletur extra se: sequitur quod seipsum semper contempletur, & proindè infinitè beatus sit. Qualis igitur erit illa pulchritudo? si intueri illam, & contemplari duntaxat beatum faciat etiam ipsum Deum, impleatque sinum illum immensum, & capacitatem felicitatis infinitæ infinitam? Qualis erit illa pulchritudo, quam Dominus ille ab æterno contemplatur, & in æternum contemplabitur, sine ullo tædio, vel fatigatione? unde & tantam, tamque inexplicabilem concipit voluptatem, ut quidquid unquam creavit, vel creare possit, nil esse videatur, si cum illâ voluptate conferatur. Quomodò natabit homo in hoc tantæ magnitudinis pelago, cùm ipsa Dei magnitu-

nitudo in hoc natare valeat? Ah pulcherrime pulchritudinis Auctor, aperiantur oculi mei , ut videant hanc speciem , & cæteris rebus omnibus claudantur! sint mihi Domine, omnes creaturæ, speculum , in quo te contemplari: imago, in qua te videre: scala, qua ad te ascendere: liber, in quo tuas perfectiones legere possim. Non miror dixisse dæmonem aliquãdo ex ore obsessi: si totum cœlum esset pergamenum, & totum mare atramentum, & omnes stellæ magistri Parisienses , & omnia stramina calami: hi omnes Magistri, & cæteri nec exprimere scribendo , nec exponere loquendo possent minimum gaudium , quod percipiunt Sancti ex vultu Dei. Itaque in Deo videbitut decor, & venustas omnium rerum creatarum, & creabilium. Illic videbimus varietatem , & pulchritudinem om-

omnium temporum, jucunditatem Veris, claritatem Æſtatis, abundantiam Autumni, & Hyemis quietem. Illic ſapientiâ Salomonis, videbitur ignorantia: Illic pulchritudo Abſolonis, deformitas: illic fortitudo Sampſonis, imbecillitas. Tanta eſt autem delectatio, quæ percipitur ex viſione Dei, ut licet quis omnes omnium Martyrum cruciatus ſuſtinuiſſet à primo mundi die, uſque ad extremum; abundè Deus illi ſatisfaceret, & merita illa omnia compenſaret, ſi ſe illi videndum exhiberet unico momento. Effugit enimverò omnem intellectum, quanta futura ſit delectatio intueri, & intelligere, quomodò Deus ſit inviſibilis; omnia videns; immutabilis, omnia mutans; immotus, movens; ſemper agens, & ſemper quieſcens; colligens, & non egens; omnia portans ſine onere, omnia implens ſine incluſio-

ne.

ne. Quomodò, cùm sibimet ipsi non dissimilis sit, dissimiliter tamen agat dissimilia? Quomodò, qui ubique semper est, & tamen vix inveniri potest: quem stantem sequimur, & apprehendere non valemus. Quâ lætitiâ ergò Beatus non perfundetur! Quo gaudio extra se non efferetur? Itaque videre Deum, est præmium vitæ æternæ, gloria spirituum, lætitia sempiterna, corona decoris, bravium felicitatis, pulchritudo pacis. Ipse præmium, & merces expectationis: *Ero*, inquit Moysi, *merces tua magna nimis?* Magnum enim magna decent. Verè tu Deus magnus es; & merces tua magna nimis. Neque enim magnus es tu; & parva merces tua: sed ut magnus es: ita magna merces tua. Quoniam non aliud es tu; & aliud merces tua. Sed tu ipse magnus nimis: tu ipse magna merces nimis. Tu cororona, & Coronator

ronator; Tu Promissor, & promissio, Tu remunerator, & munus. Piè de hac visione Laurentius Justinianus, (a) *Divinis splendoribus, & perpetuâ claritate fulgebit rationalis potentiæ; incomprehensibili lumine, veritate perspicua, serenitate lucidissima, & jucunda visione lustrabitur; Nam fæcunda Dei verbo, & clara visione ei inhærens, inscrutabilia secretorum Dei judicia, & ineffabilia sapientiæ ipsius arcana, vero percipiet cognitionis intuitu: videbit Deum in seipso; videbit se in Deo, & Deum in se: videbit Deum in creaturis, & creaturas in Deo; sicque ineffabili luce decorabitur; lumine namque gloria circumfusa, Æternum ab æterno æternaliter genitum contuebitur; atque meridiano splendore illustrata sine differente, vel obnubilante medio, Dei essentiam contemplabitur. Et paulò post: Ab immensitate*

(a) *De disciplin. & perfect. monast.*

ſitate decoris, à perennitate gloriæ, à ſuavitate ſpiritus, à liberalitate infuſionis, à continuatione gaudii, ab inhæſione dilecti totaliter comprehenſi, omnes circumfuſi quodã irreverabili intuitu, & donati imperturbabili pace, Dei beatiſſimâ fruentur eſſentiâ: ſicque totus rationabilis ſpiritus Dei inſignitus Imagine, in ſuum ſe tranſformabit Auctorem; nullâ deinceps polluendus labe, nullo timore turbandus: ſic ipſe. Verè dixit Auguſtinus: (a) *Quod Deus præparavit diligentibus ſe, fide non capitur, ſpe non attingitur, charitate non apprehenditur, deſideria, & vota tranſgreditur; acquiri poteſt, æſtimari non poteſt.* Sed melius cœlorum gaudia exprimet idem Auguſtinus, admiranda quadam quam ipſe deſcribit viſione, quam verbis: ipſis ejus verbis hiſtoriam contexam: (b) *Eâdem die, & horâ quâ obiit Hieronymus, eram Hippone in cellulâ mea quieſcẽs, avidè*

(a) *l.22. De Civit.* (b) *Epiſt.205.*

cogitans, qualis inesset animis Beatorum gloria, & lætitiarum quantitas; cupiens inde ex hâc materiâ brevem componere tractatum, &c. Chartâ, calamo, pugilarique in manibus susceptis, ut brevem scriberem Epistolam sanctissimo Hieronymo destinandam; ut quidquid ex hoc sentiret, responderet: Cumque jam scribens salutationis exordium, Hieronymo prænotarem; ineffabile subitò lumen, nostris invisum temporibus, nostrisque minimè linguis declarandum, cum ineffabili, inauditâque omnium odorum fragrantia cellulam, in quâ stabam, intravit: quo à me viso, stupore, admirationeq; commotus, animi & membrorum virtutes repentè amisi. Nesciebat enim, quod tunc Dextra mirabilis Dei exaltasset servum suum. Itaq;, quia talem nunquam oculi mei perspexerant lucem, olfactus meus odorẽ non senserat: tam novis, tam inauditis miris obstupescebam. Inter hæc, de luce hâc dicens verba,

ba, vox emicuit: Augustine, quid quæris? putasne brevi immittere vasculo mare totum? brevi pugillo intercludere terrarum orbem? cœlum firmare, ne usitatos exerceat motus? Quæ oculus nullius hominis videre potuit, tuus videbit? quæ auris nulla per sonum hausit, audiet tua? quæ cor humanum nullatenus intellexit, nec etiam cogitavit, existimas te posse intelligere? Infinitæ rei, quis erit finis? Immensa, quâ mensurâ metieris? Potius totum mare in arctissimo claudetur vasculo; potius terrarum orbem parvulus teneret pugillus: potius cœlum à motu continuo desisteret: quàm gaudiorum, & gloriæ, quibus Beatorum Animæ sine fine potiuntur, minorem intelligas particulam. Impossibilia facere ne coneris. Hîc non quæres, quæ non alibi, nisi quo tàm faciliter properas, inveniri possunt. Hoc satage, talia exerce opera, ut ea, quæ hîc aliqualiter intelligere cupis, in æternum habeas : Hæc de se Augustinus.

nus. Cur ad tanta, & tàm certò nobis promissa bona; inter tot, quæ nos hîc premunt, mala, mentem non erigimus? Cur Danielem, in Babylone captivum non imitamur? *Is*, (a) ait scriptura, *Ingressus est domum suā & fenestris apertis in cænaculo suo cōtra Ierusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat.* Ipse ergò è tristi Babylonis captivitate, eminus salutabat Patriam suam Jerusalem: non aperiebat fenestras, quæ ad Babylonem spectabant; sed quæ ad Jerusalem. Claudite hîc oculos, est Babylon, nil occurret hîc dignũ visu: aperite, ut sursum suspiciatis, ibi est Jerusalem, visio pacis. Habemus in nobismetipsis domum, cujus pars inferior, est corpus; superior, Anima: binæ illic sunt fenestræ; Intellectus, Volũtas: fertur Intellectus in omne verũ, Voluntas in omne bonum: utrumque nusquam ve-

(a) *Dan. 6.*

rè,ac plenè invenitur, nisi in Jerusalē. Per has geminas fenestras saluta, & respice Jerusalem Patriam tuam. Fili Adam, hæc Patria vestra. Oves Christi, hoc est vestrum ovile, hæc pascua vestra: columbæ seductæ non habentes cor, hic vester nidus, hæc requies vestra. Quid agitis? quò curritis? quid persequimini? Cur tantum bonum vobis tam leviter eripi sinitis? Cur non fortiter tantò stipendio dimicatis? Cur celeriter tanto promisso bravio non curritis. Hic tempus certaminis est, illic triumphi. Hic sementem facere: illic metere oportet. Cur uvas colligitis, antequam maturescunt? Cur otio, & voluptatibus ante tempus vacatis? Vacate nunc contemplandæ cœlesti Jerusalem, ut illic ingressi, aliquando audiatis. (a) *Vacate, & videte; quoniam suavis est Dominus.*

CA-

(a) *Psal.* 45. 11.

CAPUT X.

Vltimus hominis finis, est bonorum omnium æternitas, sine fine.

(a) HOc capite finem imponemus materiæ illius Regni, cujus nullus est finis; ostendemusque, uberrimam Beatis omnibus accrescere lætitiæ segetem ex bonorum omnium, quæ possident, æternitate. Bona omnia temporalia, perpetuas vicissitudines subire, continuâ vertigine circumagi, jugi instabilitate, pernicissimaque fugacitate in suum præcipitare occasum, quotidiana docet exprrientia; sola, quæ in cœlis sunt, bona sunt solida, stabilia, firma, immobilia, æterna. Hinc rectè exclamat S. Augustinus: (a) *O regnum beatitudinis sempiternæ! ubi juventus nunquam senescit: ubi decor nunquam pallescit: ubi amor nunquã tepescit: ubi sanitas nunquam marcescit? ubi gaudium nunquam decrescit:*

(a) *Æternitas omniũ bonorũ in cœlo.* (b) *Soliloq. c. 35.*

ubi

ubi vita, terminum nescit. Sic ipse: de illo regno ita loquitur Isaias: (a) *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum.* Felix Regnum, cujus quot sunt habitatores, tot sunt possessores; quot cives, tot Reges; felix, iterumq; felix Regnum! cujus opulentia, infinitas; cujus amplitudo, immensitas; cujus duratio, æternitas; cujus dignitas, divinitas. Sed acturi de hujus Regni æternitate; de ipsâ prius agamus æternitate. Viri Divino spiritu afflati, ajunt solum Deum æternum esse, temporis Dominũ; cujus regnũ, sit regnum omnium sæculorum: alia õnia labi, & fluere, & pondere suo tẽdere in nihilum. Nam tametsi Animæ, & Beatæ mentes dicantur æternæ; non tamen semper fuerunt, nec nisi alieno beneficio sunt futuræ, ita ut quodammodo fæneratitiam æternitatem, & precariam perpetuitatem habere videantur. Cæterùm clarè Divina Oracula pronuntiãt so-

(a) *Isa.* 57. 15.

lum Deum esse propriè æternum. Quam ob causam, *Rex sæculorum* nuncupatur à D. Paulo (a). *Antiquus dierum* à Daniele. Ab Isaia; *Excelsus, & sublimis, habitans æternitatem.* A Siriis, *Gigas sæculorum*, ob magnitudinem potentiæ, & majestatem æternitatis: solus ergò Deus æternitate suâ tutus, & totus est, nusquam variabilis; qui omnem temporis fluxum, & sæculorum commutationem idem exuperat. Sicut enim immensitas Dei, totam Dei magnitudinem, quæ absque termino quaquaversum super cœlos in immensum diffunditur, colligit in punctum, ut non minus habeat in puncto loci, quàm in spatio infito: ita æternitas durationem, & quasi ætatem Dei, quæ infinito tempori coextenditur, colligit in momentum; ita ut totum possideat in instanti, sive in puncto. Sicut enim se habet immensitas ad punctum

(a) *Tim.* 1. *Dã.* 7. 9. *Is. Is.* 57. 15.

lo-

loci, ita æternitas se habet ad punctum temporis. Talem, aut hominibus, aut Angelis, æternitatem non transcribimus: solus enim Deus est, (a) *Excelsus & sublimis, habitãs æternitatem, & Gigas sæculorum.* Ut tamen ei, quâ fieri poterat, etiam in duratione similes fieremus; (b) sicut *ille est vivens in sæcula sæculorum, & vivens in sempiternum:* (c) ita voluit & nos, qui ab æterno quidem nec fuimus, nec esse potuimus; saltem posthac in sæcula sæculorum, & in sempiternum vivere. Hæc etsi non sit propriè dicta, & adæquata, sed quodammodò dimidiata; est tamen à Deo participata, & in futurum infinitè extensa, veraque æternitas, divinæ æternitati dissimilis quidem duratione retrò infinita; similis tamen duratione in futurum infinita, & inexhausta. Qualis ergò in illis existere debet, & exube-

(a) *Is.* 57.15. (b) *Apo.* 10.6. (c) *Dã.* 4.31.

exuberans in omnem partē lætitiæ copia? ubi bona omnia sunt simul cōgesta, & singula æterna? possessio boni infiniti, & æterni: æterna lux, æternum convivium, æterna læti-tia, æterna laus, æterna jubilatio, æternus triumphus, æternus pulcherrimi Dei aspectus, & quidquid bonorum optari potest. Verè ergò sunt Beati. Quia, *Beatitudo* (teste Boëtio) *est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* (a) Beatitudo ergo est status, id est bonum quoddam permanens; quod fortunæ lusibus non subest, neque enim novit fortunæ rotam volubilem, clavum enim apposuit ei: quare bonum illud immensum, occasum ignorat, & vicissitudinem. Hinc D. Augustinus dubitans, quomodo post diem Judicii, misericordia Dei dicatur æterna, cùm in cœlo non sunt Beati indigentes misericordiâ: & ait (b) *Rectè in*

(a) *3. de Consol. Philos.* 2 (b) *Exposit. Psa.* 135. *Confitemini. &c.*

æternum futuram misericordiam ejus dicimus: non quia in æternum miseri erunt, & ideò in æternum ejus misericordia indigebunt; sed quia ipsa Beatitudo, quam misericorditer miseris præstat, ut esse miseri desinant, & esse Beati incipiant, non habebit finem; & ideò in æternum misericordia ejus: quod enim Iusti erimus, ex iniquis, sani, ex infirmis, vivi, ex mortuis: immortales, ex mortalibus: & Beati, ex miseris, misericordia ejus est: hoc autem quod ita erimus, in æternum erit: ideo misericordia est in æternum, quia benefactum, quod nobis misericorditer præstat, in æternum est. Est ergo status, & quidem omnium bonorum aggregatione perfectus: nullum enim bonum non ibi, Plato beatum illum dixit, cui nil boni deest. Et D. Bernardus: *Beatitudo est, ubi nil sit, quod nolis: & ubi totum sit, quod velis:* sic ille. Nil ibi, quod nolis; non fa-

(a) *Ser. de triplici genere bonorum.*

fames, non sitis, non nuditas, non paupertas, non lassitudo, nõ dolor, non timor, nõ labor, non inimicus, non morbus, non mors: nullum ibi malum, nec pœnæ, nec culpæ. Nil ibi, quod non velis: sed totum ibi, quod tu velis; delitiæ, divitiæ, honores, amici, salus, vita. Extollit mirificè ex hoc capite, Beatorum statum S. Augustinus: (a) *Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malũ, nullum latebit bonum? vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Quia tunc non erit ulla necessitas: sed plena, certa, secura, sempiterna felitas. Ipse finis erit desideriorum nostrorum: qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. O verè maximum sabbathum, non habens vesperum! Ibi vacabimus, & videbimus: videbimus, & amabimus, amabimus, & laudabim⁹! Ecce, quid erit in fine, sine fine? Nam quis alius noster est finis? nisi pervenire ad* reg-

(a) *L. 22. de civit. cap. 30.*

regnum, cujus nullus est finis? Hæc est requies sẽpiterna, sine fine erit requies ista, sine fine erit gaudium hoc, sine fine erit incorruptio. Vitam æternam habebis: requiem, quæ non habet finẽ. Quanto labore digna est requies, quæ nõ habet finem? sed finẽ imponamus huic Regno, cujus nullus est finis, probãdo illud regnum cum infinitis quos continet thesauris; cum im̃ensis, quæ complectitur bonis, posse emi, & quidẽ exiguo pretio. Accipite ex D. Aug. ejus pretiũ, & accendite ad emendũ, vestrũ desiderium. (a) *Venale est, venale est, quod habeo,* dicit tibi Deus. *Eme illud? Quid habes venale? Requiẽ,* ait, *venalẽ habeo; eme illã.* Dicis ei: *Quantũ valet? Pretium ejus, labor est. Quanto labore digna est quies, quæ nõ habet finẽ! si verùm vis cõparare & verũ judicare; æterna requies, æterno labore rectè emitur: Verũ hoc est; sed noli timere; misericors est Deus. Si enim haberes æternũ laborẽ,*

(a) *In Ps. 93. post mediũ.*

 nun-

nunquam pervenires ad æternã quietem. Ergò ut aliquando pervenias ad id quod emis, non in æternum laborandum est: non quod non valeat tanti, sed ut possideatur, quod emitur. Digna est quidem emi labore perpetuo; sed necesse est, ut labore temporali ematur. Decies centena millia annorum habent finem: quod tibi dabo, dicit Dominus, *non habet finem. Qualis misericordia Dei? non dicit decies centena millia annorum labora; non dicit, vel mille annis labora; non dicit, quingẽtis annis labora: sed cum vivis, inquit, labora, in paucis annis. Inde jam requies erit: & finem non habebit*, &c. *Ecce quantum pretium damus: quodammodò unam siliquam, ad accipiendum thesauros sempiternos*: sic ipse. Sed fors erunt, qui se labore cœlum emere posse negabunt: quia sunt viribus infirmi, conditione debiles, naturâ delicatuli. Idcircò, ut & hanc ansam tibi eriperet

Augu-

Auguſtinus, aliud adhuc, & longè vilius pretium emendi cœli proponit. Cùm multa ſimul conglobaſſet in laudem cœli, tandem concludit: (a) *facilius inveniemus, quid ibi non ſit, quàm, quid ibi ſit? Et tamen venale eſt. Eme, ſi vis. Nec multum æſtues, de re magna, propter magnitudinem pretii. Tantum valet, quantùm habes. Noli quærere, quid habeas, ſed qualis ſis. Res iſta te valet, tantùm valet, quantùm es tu, Te da, & habebis illam. Quid exæſtuas, quid turbaris? Nunquid quæſiturus es te, aut ẽpturus te? Ecce tu qui es, qualis es, da te illi, & habebis illã. Sed malus ſum inquies, & fortè me non accipit: dando te illi, bonus eris;* ſic ille, Hæc, cùm ita ſe habeant, cùm in cœlo ſint omnia æterna; & æterna comparari poſſint tam exiguo pretio, labore momentaneo, nos, ut Regnum illud omnium ſæculorum emamus, in rebus omnibus

(a) *De verbis Dom. ſer. 64. c. 2.*

omnib⁹ omittendis, & agendis, præcipuè semper spectandum, quid expostulent rationes æternæ; sive, ut explicatius dicam, quid extremus vitæ nostræ finis exigat; quid summum bonum, quo sunt omnia referenda; Quid Deus ipse, qui summum bonum est, finis noster. Quid postulet major Dei gloria, cum nostrâ semper salute conjuncta. Quid super eâ re dictet, consulta fides? quid sacra Scriptura? quid disciplina Christiana? Non quid sensibus arrideat: quid natura vitiata requirat: quid in præsenti maximè sit gratũ, facilè, jucundum. Assumat igitur, æternitatis trutinam, & ad eam omnia dicta, facta, cogitata dilgẽter expendat. Ita faciebat olim S. Franciscus; undè cùm frater ejus, homo arroganter insolens, ab illo semi nudo, & algente, amariore joco, quàm deceret fratrem, rogasset, sudoris guttam sibi drachmâ vẽderet; lætis-
simus

ſimus reſpondit ; ſe jam pridem totum Domino vendidiſſe, & quidem ingenti pretio ſempiternæ vitæ. Idem, poſt aliquot annos, graviſſimis doloribus exagitatus; & novis inſuper moleſtiis à dæmone divexatus, ut jam humanæ vires, ferendo vix eſſent : audiit è cœlo ſibi verè gaudendum ; quod per eas tribulationes tantùm ſibi theſaurum acquireret, cui nullus in terrâ comparari poſſet; licet tota terra in aurum; omnes lapides in gemmas ; omnes aquæ in balſamum verterentur: quâ voce cœleſti ſic eſt recreatus, ut jam non ſentiret dolorem, ſtatimque advocatis præ gaudio fratribus, narraret, quod è cœlo ſolatium accepiſſet. Verè ergò , (a) *Beati , qui habitant in domo tuâ Domine , in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Æternitas ſæculum unum eſt; annus unus eſt, dies unus; imò punctum unum, pro-

(a) *Pſal.* 83.

pter indivisibilem unitatem infiniti: Tamen dies sunt infiniti, anni infiniti, infinita sæcula, propter immensitatem. (a) *Dies Domini.* Non est alia ætas digna Deo, quàm æternitas, nec alio digna æternitas, quàm Deo. Et nos æternitate fruentes in cœlo, erimus Divini, pleni Deo, filii Dei; vivemus cum Deo, erimus quasi Dii. O æternitas! Magnitudo Dei, est immensitas; Natura Dei, est bonitas; virtus Deï, est infinitas; voluntas Dei, est æquitas: lex Dei, est sāctitas: vita Dei, est felicitas: ætas Dei, est æternitas. O admirabilem ætatem! Ætas, quæ nec transit, nec venit, nec in circulum revertitur: sed commensurata (si dicere liceat) & adæquata Deo. Sicut enim ille immobilis est, & omnia movet: sic æternitas stat semper immota, ut centrum, & axis; volvit tamen tempus, & mundum, ut rotam, vel sphæram. Ideoque æternitas omne tem-

(a) 2. *Cor.* 3.

pus

pus includit; præteritum, quia erat; præsens, quia est: futurum, quia erit. Non sic erat, ut transierit, uti dies hesternus, quia fuit, & non est: non est: quomodo præsentis temporis instans, quod in ictu oculi currens est, & non est. Non erit, quia quod erit, nunc non est, sed futurum expectatur. Sicut dies crastinus: sed erat, sine principio, & sine medio, & erit sine termino. O ætas incomprehensibilis! ætas antiquissima, & prima! ætas novissima, & ultima! imò nec prima, nec ultima! ætas unica, & sola! Dies unus: (a) *Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Quis te poterit laudare, ô beata æternitas? Tu es antiqua, & nova; non prius antiqua, quàm nova; non prius nova, quàm antiqua: imò ideò antiqua, quia nova: ideò nova, quia antiqua. Antiqua es, ô æternitas! quia semper fuisti:

 Nova

(a) *Psal.* 38.

Nova es, quia ſemper eadem es: Non deficit unquam. O beata æternitas! non mutaris unquam; quotidiè refloreſcis, & renovas omnia inferiora, cùm ſemper ſtes immobilis. Æternitas regnat, æternitas vincit, æternitas imperat, æternitati laudes, æternitati gratias, æternitati triumphales honores. Ad hanc æternitatem vos invito: hanc æternitatem vobis opto, hanc æternitatem precor & ſpero.

***
**



INDEX CAPITUM.

PROOEMIUM DE MORTE.

Folio I.

CAPUT PRIMUM.

Novi hominis, ex attentâ Mortis consideratione, Genesis. 4

CAPUT II.

Homo vetus ad intuitum sepulchri evigilat; & jam novus, sibi invigilat. 13

CAPUT III.

Hominis fragilitas, temporis pernicitas. 22

CAPUT IV.

Quid sit mori? 32

CAPUT V.

Homo vetus, reddit animum ex de-

formi pulchrum, inſpiciendò ſepulchrum. 42

CAPUT VI.

Novus homo, nova videt, audit, intelligit; dum ſepulchra inſpicit. 48

CAPUT VII.

Mors multis eſt inviſa, quia non paucis improviſa. 56

CAPUT VIII.

Summi momenti ſummum momentum. 66

PROOEMIUM,

DE EXTREMO JUDICIO. 77

CAPUT I.

Evigilat homo vetus, ſonitu tubæ ſepulchralis, citantis eum ad Judicium. 82

CA-

CAPUT II.

Post tubæ sonitum, sequitur Resurrectio corporum. 91

CAPUT III.

Crux ante adventum Judicis apparens in aëre, variis vario se exhibebit schemate. 105

CAPUT IV.

Bene expensus descensus è cœlo supremi Judicis, erit ascensus ad cœlum novi hominis. 117

CAPUT V.

Judicis è cœlo descendentis, & in throno considentis magnificus apparatus. 128

CAPUT VI.

Ante ultimum Tragœdiæ actum, prodeunt varii reproborum Actores. 141

CAPUT VII.

Pronuntiatur faustissima in Electos sententia. 153

CAPUT VIII.

Fulminatur decretoria in improbos sententia. 165

CAPUT IX.

Utriusque sententiæ executio, & omnis temporis consummatio. 182

INDEX.

PROOEMIUM.

DE INFERNO,

Homo vetus descendat cogitatione ad inferos, ut inde novus ascendat perfectione ad Superos f. 193

CAPUT I.

Locus, & Societas. 196

CAPUT II.

Tenebræ. 203

CAPUT III.

Fætor. 210

CAPUT IV.

Fletus. 217

CA-

CAPUT V.
Fames. 223

CAPUT VI.
Vermis conſcientiæ. 230

CAPUT VII.
Ignis 235

Deſperatio. 240

CAPUT IX.

Æternitas. 247

PROOEMIUM.

DE COELO. 261.

CAPUT I.
Homo novus deſpicit magna ter-

terræ, expensâ magnitudine cœli. 264

CAPUT II.

Novus homo, ſpretis terræ anguſtiis, meditatur ampla, ex cœli amplitudine. 274

CAPUT III.

Homo novus erigit ſe è cœno, ad cœlum; dum contemplatur venuſtatem cœli. 283

CAPUT IV.

Homo novus, dum ſuſpicit dotes glorioſi corporis 294

CAPUT V.

Homo novus, dum convertit oculos, ut videat Beatorum oculorum voluptatem; avertit oculos, ne videat vanitatem. 312

CAPUT VI.

Homo novus, dum reliquas cogitat Beatorum voluptates; ex reliquis ſen-

ſenſibus , cenſet ſe fuiſſe hactenus inſenſatum 323

CAPUT VII.

Exuberans gaudiorum copia , ex mutuo Beatorum aſpectu , & gloriâ. 335

CAPUT VIII.

Ingens Beatis eſt lætitiæ materia , ſingulorum inter ſe concordia , & amor. 352

CAPUT IX.

Deus clarè viſus , eſt tota hominis ſalus. 367

CAPUT X.

Ultimus hominis finis , eſt bonorum omnium æternitas ſine fine. 384

FINIS.

Privilegium Cæsareum & Facultas R. P. Provincialis Provinciæ inferioris Rheni.

EGo infrascriptus Societatis Iesu per Provinciam Rheni Inferioris præpositus Provincialis, potestate mihi à patre N. P. Ioanne Paulo Olivâ Societatis nostræ præposito Generali, ad id facta, concedo Hermanno Demen Bibliopolæ Coloniensi facultatem recudendi opera P. Guilhelmi Stanihurstii legitimè antehac censa probataque, quæ inscribuntur Tessera Christiani Militis, Historia Passionis, & Tractatus de Quatuor Novissimis, eidemque jus Cæsarei Privilegii usurpandi eatenus indulgeo, ut ipso invito, Librum hunc nemo deinceps recudere, nemo intra S. R. Imperii fines, & hæreditarias S. Cæs. Majest. Provincias importare, aut vænum exponere audeat, in cujus rei fidem has litteras manu nostra subscriptas & Sigillo munitas dedimus Coloniæ 23. Martii 1674.

(L.S.)

Winandus Weidenfelt.

APPRO-

APPROBATIO.

HÆc *veteris hominis Metamorphosis*, & *Novi Genesis*, *Auctore* R. P. Guilieimo Stanihuesto *Societatis* JESU, *cùm sit ad veterem hominem exuendum*, & *novum hominem induendum quasi parænesis*, *censeo dignum qui fiat publici juris.*

Actum 31. *Martii*, 1661.

C. VOOCHTS, *Canonicus* S.T.L. & *Archidiaconus Antverpiensis, lib. Censor.*

